



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Qvod Ivdæi Messiam, Qvi uenit, ceu uenturum, temere
expectent**

Samuel <Marochitanus>

Argentorati

VD16 S 1561

urn:nbn:de:hbz:466:1-36159





QVOD

IVDAEI MESSIAM, QVI
 uenit, ceu uenturum, temere
 expectent. Libellus sane
 doctus. Rabi
 Samuelis.



ὁρθέλει ἐλεεῖ ὁρθέλει σκληρῶς.



IO. HERVAGIVS LECTORI.

Datus est, opti. lector, libellus ille Rabi Samuelis plane
doctus Coloniae latinae, ex fonte Arabico, Alphontio boni
hominis Hispano interprete, qui magis proprietatilinguae
studuit, quam ut lenocinijs, picturatisue, excoleret uo-
culis, credens & nudae ueritati suam deberi laure-
am, Hunc igitur, apud te foue, lege, & lucrabe-
ris Christo & Iudaeos, si inuitaris eos non
sophistico supercilio, sed pie, neq; ad
literam, sed ad spiritum. Ad
fidem, non ad pharisa-
cas ceremonias.

Vale.

*

EPISTOLA

Rabbi Samuelis Iſrahelitæ, oriundi de ciuitate regis Moro-
chiani ad Rabbi Isaac, magiſtrū Sinagoga, quæ eſt
in Subiulmeta, in regno prædicto.

Conſeruet te deus, o Frater, et permanere te faciat,
uſq; quo terminetur iſta noſtra captiuitas, & con-
gregetur iſta noſtra diſperſio, & appropinquet
ſpes noſtra, & ſignet Deus beneplacitum ſuum ſuper ui-
tam noſtram, Amen. Noui & expertus ſum, quod pleni-
tudo ſcientiæ noſtri temporis eſt in te, & tu eſ ſpes noſtræ
certificationis, in dubijs legis & prophetarum, cum tuis
expoſitionibus glorioſis. Vnde ego particeps doctrinæ
tuæ fieri deſiderans, tibi expono exitus cordis mei, ſuper
illis quæ Legis ſunt & prophetarū, ſup quibus anxior cū
timore. Quapropter recurro ad abundantē ſcientiam tuā
& ſapientiam, & mitto tibi libellū iſtum, ſperans per te,
Deo uolente, in ueritate confirmari ac in dubijs declarari.

CAPVT .I.

Quare Iudei ſunt in ira Dei.

Deſydero, domine mi, certificari pte, et testi-
mōijs legis, et pphetarū, & aliarū ſcriptu-
rarū, quare nos Iudei generaliter ꝑcuſi ſu-
mus Deo ī captiuitate iſta, in qua ſumus, quæ poteſt uoca-
ri proprie ira dei perpetua, quoniā non habet finem. Nā

A a modo

V E R I M E S S I A E

modo sunt mille anni completi & ultra, quod per Titum fuimus captiuati. Nos scimus quod patres nostri adora- uerunt idola, occiderunt Prophetas, & legem Dei abiece- runt, & propter omnes istas transgressiones Deus non percussit eos captiuitate, nisi per .lxx. annos in Babylonia, & post tempus praefatum placatus est eis, & reduxit eos in terram suam. Et secundum scripturam ira Dei fuit tunc temporis ualidissima super omnes iras quas ante tempora illa commemorat scriptura, & tamen, ut dictum est, poena ta- torum peccatorum non fuit nisi .lxx. annis. Et nunc, domi- ne mi, ira dei quae in praesenti punit nos, non habet terminum, nec finis eius promittitur in prophetis. Si uouerimus di- cere quod ista praesens ira in qua sumus, sit adhuc illa ira propter quam fuit illa captiuitas .lxx. annorum, quia tunc complete satisfactum est de peccatis praedictis per illos Patres nostros, nos facimus Deum mendacem, quod absit, quoni- am ipse Deus uerus & gloriosus illi captiuitati imposuit praefatum terminum per prophetas .s. lxx. annos. Unde talis non est responsio, sed euasio seu excusatio, nec esset coram intelligentibus proponenda. Et si dixerimus quod Deus in illa transmigracione misertus est uni parti generis nostri, & non alteri, & illos quorum misertus est reduxit ad re- a- dificandum templum, ut dicit Propheta Hieremias, & quod nos sumus de illis quorum non est misertus, tunc dicet no- bis Christiani, quod Deus misertus est eorum qui adoraue- runt idola, & qui occiderunt Prophetas, ergo & nobis, quia nos non peccauimus. Ita in patribus peccatoribus fuit poena

P A R A S T A S I S.

poena diuinæ ultionis in certo termino, quare ergo nostrā poena esset sine termino qui non peccauimus? Itaq; longa est et sine termino poena in qua sumus, modo iā sunt mille anni, nec in lege nec in Prophetis huius poene terminū possumus inuenire. Quare, domine mi, cū Deus punierit patres nostros propter idolatriam, & propter interfectionē Prophetarū, & poena et culpa sint notæ in scriptura, cum Deus non punit bis idipsum, pro peccatis illis prateritis fuit poena .s. captiuitas .lxx. annorū, Et cū deus non punit uniuersaliter nisi propter uniuersale Peccatū, oportet quod post illam captiuitatem nos peccauerimus omnes coram Deo, Peccato maiori quam fuerit idolatria primorum parentū, & quam fuerit interfectio Prophetarū, ex quo Deus pro illis Peccatis puniuit Patres nostros .lxx. annis & nō amplius, & nos puniuit, iam sunt mille anni & ultra, & punit et disperfit nos per quattuor partes mundi. Tamen quicquid contingat Deī sumus in omni euentu, quia nulla est excusatio super dicta. Responde.

Caput. II. Probat, quod pro quodā graui Peccato in quo sunt, sint in hac dispersione. Et arguitur contra eorum obseruantiam Legis.

Supposito igitur, domine mi, quod sumus in peccato aliquo maximo, rogo nunc, quod certifies me, si postquam Deus disperfit nos de Hierusalem, & misit in captiuitatē istā longissimā seu perpetuam, propter illud Peccatum, auctoritate nostra & propria uoluntate sine

V E R I M E S S I A E

speciali mandato dei, cur nos in captiuitate ista non ince-
 pimus obseruare Circuncisionē & Sabbatū, & alias eeri-
 monias quas tenemus secundum legem Moysi. Nam nos
 cognoscimus, quod à tempore quo Titus destruxit ciuita-
 tem sanctam, & templum combussit, & bibliothecas, &
 nos in captiuitatē istam dispersit, & extunc cessauit inter
 nos uigere sacrificiū, oblationes & holocausta, & Deus
 non promisit nobis postea per Prophetam aliquem, nec p
 prophetiā nec per reuelationē aliquā certam, quod nos de-
 beremus redire aliquando in Hierusalē in statu pristino,
 nec mandauit nobis postea quod obseruaremus obseruan-
 tias prædictas. Videtur ergo sequi quod nos nō à Deo, sed
 ab illis qui erant in ira dei obseruantias prædictas accepi-
 mus & tenemus. Et uidetur quod iuste dicent nobis aduer-
 sarij nostri. Sicut uos obseruatis Circuncisionē & Sabba-
 tum, & legitis in Synagogis libros Moysi & Prophetarū
 sine mandato dei, quare nō assumitis uobis similiter sacri-
 ficium & non facitis uobis sacerdotem & regem et prin-
 cipem, & unctiones sanctas & incensum, & quare non
 edificatis uobis altaria, & seruatis cerimonias, & omnia
 alia quæ sunt in lege contenta, sicut Sabbatū et Circuncisio-
 nem, & plura alia quæ obseruatis secundum traditiones
 uestras sine mādato dei propria uolūtate, ex utraq; parte
 curritis in offensā dei. Et si hæc prædicta facitis contra uo-
 luntatē Dei, uel si dicitis quia uolūtate Dei est, quod hæc ser-
 uetis & beneplacitū, quod tamen ostendere non potestis,
 quare non obseruatis supradicta alia, quorū multa facere
 potestis,

P A R A S T A S I S.

potestis. Et si nō permittūt uos facere reges populi sub qui-
bus iacetis, permitterēt tamē uos multa alia facere, sicut
permittūt circūcisionē et libros & sinagogas, et alia quæ
seruatis. Et ad hæc, domine mi, non est nobis in promptu
responsio sufficiens, ut uideatur. Sumus tamen dei in omni
euentu.

CAPVT .III.

Quomodo omnis obseruantia legis Iudeorum nō est ac-
ceptabilis Deo propter Peccatum in quo sunt.

INuenimus, domine mi, Deū loquētē per os Zachariæ,
& dicentem .vij. cap. ubi loquitur de illa prima capti-
uitate breui, interpretando hanc auctoritatem secundū
quod scripta est in Arabico, sicut infra posita est, sonat in
latino. Hæc dicit dominus Deus sacerdotibus, & populo
terre. Quando ieiunastis & plorastis in .vi. & .vij. toto
tempore .lxx. annorum, intellexistis quod ieiunaretis ad
me, aut ploraretis, ego tale ieiuniū nolui à uobis. Nostra
autem translatio aliter se habet, sed ego scribere propono
sicut iacēt in Arabico auctoritates quas Samuel iste addu-
cit, non sicut sunt in nostra Biblia. innuit dominus.

Domine mi, in prædictis uerbis q̄, dum nos Iudei fui-
mus per .lxx. annos in dicta captiuitate, fuimus sine lege,
quia ieiunium non habuimus, neq; habemus à lege sicut
alias obseruantias, & similiter fuimus sine circuncisione
& sine sabbato, & sine dubio omnia hæc non ualent dum
ira dei manet super populum suū. Illa uero prima ira Dei
fuit breuis, quia .lxx. annorum, ista quidem in qua nunc

A 4 sumus,

V E R I M E S S I A E

sumus, est longa iam mille annorum, & ultra, & non inuenitur ei terminus in Prophetis, & timeo domine mi, q̄ sicut Deus misit in captiuitatem illam breuem patres nostros sine lege & sine obseruatijs, nec acceptauit ieiunia, nec obseruatijs legis eorum, quousq; fuit cōpletū tempus pœnæ ipsorum. s. lxx. annorū, sic in ista captiuitate ultima non acceptat opera quæ fecimus secundū obseruatijs legis, Quare constat quod nos sumus in maiori Peccato nunc, quam patres nostri fuerint in Babylonia. Vnde nos sumus in maiori ira Dei quā illi essent, & per consequens opera nostra sunt ei minus placita, & nos sumus ei magis odiosi. Et patet quod illi propter mortem Prophetarum, & quia idola coluerūt, fuerūt tantū .lxx. annis in captiuitate. Et nos propter magnū Peccatū, & maximū sumus captiui. Iam sunt mille anni, et ultra. Et hæc captiuitas, domine mi, sine dubio est illa, quā Deus peros Danielis propheta uocat desolationē, cū dicit capt. ix. Vsq; ad cōsumationē & sinē perseuerabit desolatio & c. Prima captiuitas uocatur transmigratio, Quia post modicū tempus fuerūt reducti cum honore in Hierusalē. Sed hæc uocatur desolatio perpetua, in qua pro certo Deus non miserebitur nostri, sicut miserebatur patrum nostrorū in Babylonia, excepto q̄ consolabatur eos per Prophetas qui promittebant illis liberationē, & erant omnes simul, nobis autem nihil promittitur, & in super dispersit nos per uniuersa regna mundi. Attamen quicquid contingat dei sumus in omni euentu.

Capitū

PARASTASIS.

Caput. III. Ostendit quod Iudæi sunt cæci.

Domine mi, ualde mirabile est mihi de nobis. Spera-
mus enim quottidie liberationē de captiuitate ista,
& semper de hoc loquimur, & semper loquimur
de reductione nostra in Hierusalē, & ideo sumus cæci, uel
deceptores simpliciū. Nam constat quod post dispersionē
nostrā quæ facta est per Titū, nō apparuit in nobis Pro-
pheta qui nobis promitteret reductionem, nec etiam post
captiuitatem. lxx. annorum fuit Propheta qui loqueretur
de ista captiuitate quæ non habet finē, nisi in fine mundi.
Nec deliberationē habet nisi per consumationem seculi,
quia Daniel illā uocat desolationē sine fine cap. ix. Vnde
timeo, domine mi, quod cum tanta captiuitas non possit
manere super totam Gentem nostram à deo, nisi propter
maximū Peccatū in deum, quod maius est quā interfecisse
Prophetas, & adorasse idola, propter quæ peccata pa-
tres nostri fuerunt puniti. Quod sicut Deus nō miseretur
nostri in uita cum in eodē peccato perseueremus, sic etiā
nec miserebitur mortuis ex nobis. Attamen sumus dei in
omni euentu qui euenit.

Caput. V. Quod Iudæi decipiunt alios & seipsos.

Domine mi, uidetur quod decipiamus alios & nos
ipsos, quia in libris Legum & Prophetarū habē-
mus deum promittentem nostræ genti liberationē
& congregationē de dispersione multipliciter. Sed bene
aduertēti omnes promissiones quas habuimus, uel fuerūt
A s cōpletæ

V E R I M E S S I A E

complete ante captiuitatē .lxx. annorū, & in ipsis .lxx. annis. Vel promissiones fuerunt propter Peccata illorum quibus promissiones sunt totaliter impeditæ, sicut propono coram te, domine mi. Exēpli gratia. Ista pauca dicuntur in Ezechiele. Si feceritis iustitias meas, & mandata mea seruaueritis, congregabo uos de quatuor partibus mundi, & leuabo uos, & adducam uos per mare, & reducā uos in domum sanctam uestrā. Ecce quod id quod dominus nobis promittit per Ezechielem in prædictis uerbis, & alijs locis libri eiusdē prophetæ, iam completū est pluries ante illam captiuitatē .lxx. annorū. Vt omnes promissiones domini tales maiores & minores, quæ in diuersis locis sacrorum librorum continentur, complete fuerunt antequam caderemus in istam ultimā captiuitatē, quæ nō habet finē, modo iam sumus in millesimo anno, & ultra nec in aliquo libro Prophetarū eius terminū inuenimus, nec ulla Dei promissio ubi agit de liberatione & congregatione, intelligitur de ista captiuitate perpetua, sed de illis tribulationibus & dispersionibus, antedictos .lxx. annos, nec postea cōgregatio de dispersione promissa est nobis. Vnde oportet quod post istos .lxx. annos cōmiserimus illud Peccatum magnum, propter quod Deus sine termino punit nos, in quo Peccato sumus & manemus omnes, aliter Deus misericordiam suam non continuasset in nobis ira tam longa. Nam uidemus per scripturas quod omnia Peccata quæ cōmiserunt Patres nostri ante .lxx. annos prædictæ captiuitatis punita fuerunt, & de multis exempla hæc pauca induco:

P A R A S T A S I S.

induco. Peccauerunt Patres nostri ante .lxx. annos qui exi-
 ierunt de Aegypto, et promissio eis facta, in eis locū non
 habuit, sed in peccatis suis in deserto mortui sunt. Pecca-
 uit ipse Moyses ad aquas contradictionis, et terrā promissio-
 nis non meruit. Peccauit ipse Aarō & portauit pœnā.
 Helij sacerdos peccauit, & ruptis ceruicibus expirauit,
 & posteritas eius sacerdotio priuata est, & tamen Deus
 promiserat sacerdotiū in eternū. Sed huiusmodi promissio-
 sa intelliguntur semper, nisi propter peccata demerean-
 tur accipere, ut patet in regno Dauid, quod carnalis poste-
 ritas eius priuata est regno. Sicut etiā Deus uerus & glo-
 riosus promisit Abraham & semini suo terrā illam in eter-
 num possidendā, & frequenter perdidit eam propter
 Peccata sua, & frequenter restituit illis dominus usq; ad
 ultimam uicem qua perdidit. Iam sunt mille anni, &
 ultra, & iam non est spes recuperandi eā, quia manemus
 omnes in eodē Peccato, propter quod terram nostrā perdi-
 dimus. Et domine mi, multum mirabile est cum omnes cō-
 cordemus quod oportet quod post captiuitatem .lxx. anno-
 rum in Babylonia peccauius cōtra Deū maximo Pecca-
 to, & tamē nullus est qui dicat, quod est id Peccatū pro-
 pter quod incurrimus tanta mala. Et si aliquis nostrum
 cognoscat nostrā caussam, & Peccatū propter quod in-
 currimus tanta mala, nullus tamē id aperit proximo suo,
 nec ipsemet qui cognoscit in suam conuertit utilitatem,
 sed omnes iacemus prostrati, & uidemus manifeste quod
 in prædicta captiuitate .lxx. annorum erat Deus cum pa-
 tribus

V E R I M E S S I A E

patribus nostris in Prophetis, id est, Hieremia, & alijs
 Prophetis, & dedit eis Salathiel ducem & principes &
 sacerdotes, cum quibus exiuerunt de Babylone, peracta
 pœnitentia, & placato Deo edificauerunt Hierusalē, &
 templū, & alias ciuitates, & effudit Deus super illos mi-
 sericordias suas copiose. Et tamē in ista captiuitate nullus
 Prophetā nobiscū est, nec Deus, ut apparet. Igitur domi-
 ne, inquirā & non cessabo querere quod Peccatū est id
 tantū, propter quod sumus in hac captiuitate mille annis,
 & ultra, nec habemus Prophetā, nec regē, nec sacerdotē,
 nec altare, nec sacrificiū, nec unctionem, nec incensum,
 nec purificationem, immo facti sumus ab ominabiles toti
 mundo, sicut Deo, & contemptibiles, in solo corde tan-
 tū nostro regnat superbia, qua nos ipsos præferimus toti
 mundo. Et quod super hoc sentio pandā tibi, domine mi.
 Nec minus, quicquid eueniat nos Dei sumus.

Caput. VI. Quod sit illud Peccatum propter quod Iudei
 sunt in hac captiuitate.

Nunc ergo, domine mi, paueo quod id Peccatū pro-
 pter quod sumus in hac desolatione, & in captiui-
 tate ista, sit illud Peccatum super quo locutus est
 Deus per Prophetā Amos. ij. cap. cum dicit sic. Super tri-
 bus sceleribus Iuda conuertam * uel transferam * Israel *
 Nota quod ubi in Biblia nostra est conuertam, hic habet
 transferā, et est ad propositū eius magis * et super quarto
 non transferam eos, quoniam uendiderunt iustum pro
 argento.

P A R A S T A S I S .

argento. Et nos, domine mi, secundū doctrinam nostram
 dicimus quod iste iustus fuit Ioseph filius Iacob, qui fuit uē
 ditus à fratribus suis in Aegypto, & sic teneo, ego nisi q̄
 sermo diuinus ponit istud Peccatū uenditionis quartū in
 numero Peccatorum seu scelerū Israēl. Ipsi etiam Christi
 ani quibus sanctorū librorū studium uidetur esse traditū
 à deo, respondēt doctrinae nostrae praedictae, et dicūt, quod
 primum in quatuor sceleribus Israēl est uenditio Ioseph à
 fratribus suis. Et secundum Peccatum siue scelus, assignat
 adorationem uituli in Oreb. Et tertium scelus occisionē
 Prophetarum, propter quod fuimus captiuati in Babylo
 nia. lxx. annis. Et dicūt quod quartū scelus Israēl fuit uen
 ditio iusti. s. I E S V qui ad literā fuit uēditus post trāsmi
 grationem praefatam. lxx. annorum. Et si nos, domine, uo
 lumus tenere praefatam doctrinam nostrā, & respondere
 Christianis, oportet quod nos assignemus ī Israēl ante uē
 ditionem Ioseph uaria scelera praecessisse, ut ipsa uēditio
 Ioseph sit quartum scelus. Sed hoc nō poterimus sustinere,
 quia testimoniū libri Genesis est cōtra nos, qui uēditionē
 Ioseph ponit primum scelus filiorum Israēl. Et propheta
 Amos ponit expresse quartum scelus uenditionem iusti,
 propter quod fuimus ī captiuitate, de qua loquitur Deus,
 cōminans quod nō reducet nos ultra ī terram promissio
 nis, cum dicit, Et super quarto non transferam eos, quo
 niam uendiderunt iustum pro argento. Et manifeste appa
 ret mihi q̄ nos super illo peccato quarto uēditionis Iusti,
 iuste sumus puniti, iam sunt mille anni, & ultra, in quo tē
 pore

pore

V E R I M E S S I A E

pore nil proficimus inter Gentes, nec est spes proficiendæ
amplius.

CAPVT .VII.

Quod iustus Iesus Christianorū Deus iniuste uēditus sit.

EXpauesco, domine mi, & timeo q̄ iste Iesus quem
colunt Christiani, sit ille iustus uenditus pro argēto
secundū Amos prophetā, Et timeo quod de ipso sūt
hæc quæ mihi occurrunt testimonia Prophetarū, & illa
eadem in doctrina sua ualde aperte applicant Christiani.
Esa. propheta primo cap. dicit. Ve genti peccatrici filijs
sceleratis, quoniam ipsi clongauerunt se à Deo, & blas-
phemauerunt sanctū eius, & inclinati sunt retrorsū. Item
idem Propheta dicit. Quasi ouis ad occisionem ductus est
qui non aperuit os suum. Item dicit. Vir habens dolorem
& sciens infirmitatem. Item fuit despectus & propter
hoc non reputauimus eum, ipse enim oblatuſ est quia ipse
uoluit. Item de angustia iudicij depositus est, generationē
eius quis enarrabit? Item propter culpā populi mei trās-
fixi eum, & dabit iniuriatores pro sepultura & diuites
pro morte sua. Et timeo, domine mi, quod iniuriatores fu-
erūt Patres nostri, & diuites, Pilatus & Herodes: & An-
na & Cayphas, sicut dicit Propheta David. Consurrexe-
runt omnes reges terræ & maiores, & contra Deum &
cōtra Christum eius. Reges. s. prædicti: Maiores. s. patres
nostri. Et timeo domine quod iste IESVS sit ille cōmuta-
tus et uēditus p argēto, de quo loquitur Zacharias Pro-
pheta,

P A R A S T A S I S.

pheta, & Amos, et alij Propheta. De quo etiam loquitur
Esa. propheta capi. liij. Deponet omnes iniquitates et ora
bit pro infidelibus. Timeo ego, domine mi, q̄ iste IESVS
sit ille iustus de quo dicit David in spal. lxxiij. Delectati
sunt in animā iusti, et sanguinē innocentē condemnabūt, et
propter hoc eicit eos Deus et disperdet illos dominus De-
us noster. Et timeo, domine mi, q̄ iste sit ille iustus de quo
loquitur Hierē. cap. ix. cū dicit. Homo est, et quis est qui in-
telligit eū? Item Hierē. cap. x. Species uultus nostri Chri-
stus Deus captus est, pro peccatis nostris. Cui diximus. In
umbra tua uiuimus inter gētes. Timeo etiā, domine mi, q̄
iste sit ille iustus de quo dixit Deus per os Zacharię pro-
pheta cap. xiiij. Dicetur enī in illa die, quę sunt istę plagę in
palmis tuis. Et respondebit. Plagatus fuit in medio domus
meę inter illos qui dilexerūt me et leuauit ensē pastor meus
supra me. Idē cap. xij. Aspiciēt ad me die illa, et illū quem
transfixerūt, et plangēt super illū quasi planctū unigeniti.
Timeo etiam, domine mi, quod iste fuit iustus ille de quo
dicit Abacuch cap. iij. Cornua in manibus eius ibi abscondi-
ta est fortitudo eius &c. Et concordat Euangelium Chri-
stianorum ubi narratur mors IESV, & ostendunt. Cum
autem uenissent ad IESVM, inuenerunt eum mortuū et
misit unus ex eis lanceā suam, et transfixit. Páueo, domine
mi, q̄ iste sit iustus de quo dicit Abacuch cap. xiiij. Egres-
sus es domine saluare populū tuum cū Christo tuo.

Caput. VIII. Quomodo post occisionem Christi facta
dispersio Iudæorum secundum Danielelem.

Expáuesco,

EXpauesco, domine mi, super hijs, Quis fuit iste iustus sine Peccato, de quo loquitur Esa. propheta. Et quis sit ille iustus uenditus pro argento, propter q̄ dicit dominus per Amos prophetā, ubi supra, quod i testimonium quarti sceleris nō transferet eos in terrā promissionis amplius, Videtur etiam, domine mi, quod cōpletum est quod scribitur Daniel. ix. cap. ubi dicit. Postquā consumate fuerunt .lxxij. hebdomadæ, occidetur Christus, & tunc ueniet populus cum principe uenturo, & destruet ciuitatem, & domum cōminuet, & condemnabunt eam, & auferetur sacrificiū, & consumabitur destructio perpetua, Et non est dubium, domine mi, quin destructio desolationis p̄petuæ, sit captiuitas ista in qua sumus, iā sunt mille anni. Et aperte dicit Deus per Prophetā, quod erit desolatio perpetua post occisionē Christi, sicut est desolatio nostra postquā IESVS fuit occisus, nec cōminatus est Deus nobis perpetuā desolationē, nisi post occisionē Christi. Et si uoluerimus dicere quod ante mortem IESV fuimus in desolatione. Ad hoc respōdent nobis Christiani quod ante mortem illam nō fuit desolatio nisi .lxx. annis, & post hoc fuimus reducti in terrā promissionis, & fuimus apud Deum in gratia & honore. Certe domine mi, ego non uideo euasionem contra prophetiā istam, quia de facto probatur nobis quod postquam à reedificatione fuerunt completæ .lxxij. hebdomadæ supra anno, qui sunt anni. cccc. & .xxxiiij. tunc fuit IESVS occisus à patribus nostris, & postea uenit dux. s. Titus & populus Romanus, &

nus, &

P A R A S T A S I S.

nus, & fecerūt nobis secundū prophetiā istam, hodie sunt mille anni & ultra, & nihilominus si in ira dei sumus, & tamen in ipso speramus. Et si dicamus quod Christus uenturus est & non dum uenit, et rehabeimus terrā promissionis, & reaedificabimus ciuitatē, & habebimus gratiā dei & honorem in terra nostra, & ista desolatio non erit perpetua. Respondebunt Christiani, quod adhuc ergo manet nobis occasio Christi & aduētus Titi & populi Romani, & desolatio peior ista in qua iam fuimus per mille annos. Heu domine non est excusatio nec euasio cōsona. Sed tamen quicquid cōtingat Dei sumus in omni casu, si in eo speramus.

C A P V T IX.

Quod duo sunt aduentus Christi.

Timeo, domine mi, quod Christus iam uenit, & iam adimpleuit primū aduentū suū, quia in scripturis nostris inuenimus duplicē eius aduētū. Primus aduentus Christi describitur in Prophetis in paupertate & humilitate. Secundus in gloria & maiestate. Et de utroq; aduentu proponā illa quæ mihi occurrūt. De primo aduentu dicit Deus per os Zachæ. cap. ix. Letare filia Syon, ecce præceptor tuus uenit pauper, equitans asinum. Et in isto aduentu describit eum Isaias despectū. Daniel occisū. Zacharias & Amos uenditū, & tamen iam fuerunt cōpleta quæ in libello descripsi & describam, nō reputauimus eum, id est, non cognouimus eum, sicut dixit Esaias Propheta, sed despeximus eū & præualuimus contra eū.

B Sed

V E R I M E S S I A E

Sed gloria eius & maiestas eius erit manifesta in secundo eius aduentu, quando ignis & flāma præcedet eum, et ex ardescet & inflammabit in circuitu inimicos eius. Sicut dicit Deus per os prophetarū David & Isaia. Et timeo, domine mi, quod Christus non iudicabit aliter quam cum igne ad mortem, quia nos interfecimus omnes Prophetas qui annunciauerūt nobis de ipso, prout Deus testificatur contra nos per os Helie prophetae quarto libro Regū. Et sic interfecimus illum iustum propter quem sumus in ira dei sine fine. Attamen Dei sumus.

CAPVT X.

De primo aduentu Christi.

Timeo, domine mi, Deus describit aperte duos aduentus Christi, per os Esaia prophetae. liij. cap. cum dicit. Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium domini. Bis dicens consurge, propter eius duplicem aduentum. Et singillatim clare primum Christum describit aduentum quantum ad passionem et deiectionem cap. l. & liij. per totum. Et specialiter cum dicit. Vidimus eum & non erat aspectus & species, neq; decor & c. Primum eius aduentum ponit Esa. ix. cap. cum dicit. Paruulus natus est nobis. Et statim subiungit secundum eius aduentum cum dicit. Et uocabitur fortissimus gigas, potens, super thronum David sedebit, ut confirmet illum ab initio usq; in æternum. Zacharias autem propheta describit eū pauperem & sedētem super asinum cap. ix. Et quid aliud est hoc, nisi, quod Propheta describit primum aduentum in humilitate,

P A R A S T A S I S.

humilitate, & secundū in potētia & maiestate. Sic etiam describit eum Daniel cap. vij. circa mediū ubi dicit. Considerabam uel aspiciebam, in uisione noctis, & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquū dierum peruenit, et in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem & honorem & regnum, omnes populi tribus ac lingue adorabunt eū, & seruiēt ei. * Hebræus habet, tribus ac lingue honorabunt eum, & non deficiet potestas eius quia nō auferetur, & regnum eius manebit in eternū. Nostra autē trāslatio habet tribus ac lingue seruiēt ei, potestas eius potestas eterna quæ non aufertur, & regnum eius quod nō corrumpetur. * aliās, & non deficiet potestas eius, aliās potestas eius in æternum, & regnum eius manebit in æternum, aliās non corrumpetur. Et manifestum est, domine mi, quod in secundo aduentu sedebit Christus ante antiquum dierum, qui est Deus ad iudicium, sicut sedit in primo aduentu ante patres nostros Iudeos ut iudicaretur. Et istos duos aduentus Messie idest Christi, innuit propheta Dauid in Psalmo cum dicit, quia uenit, quoniam uenit iudicare terram. Propter primum eius aduentum qui fuit simplex dicit, quia uenit, propter secundum uero quia crit cum potentia dixit, quoniam uenit iudicare terrā. De secūdo eius aduētū loquitur Zacharia. c. xiiij. cū dicit. Imprimēt uestigia pedes sup mōtē oliuarū &c. Et nos domine nō dicimus q; Deus ī eſſētia sua et natura habet pedes nec carnē, nec ista quæ corporis sunt, sed habere pedes cōuenit omni creaturæ corpore.e. Dicit etiā

V E R I M E S S I Æ

David propheta quod supra allegatū est loquēdo de secundo eius aduentu. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius inflammabit. Sed domine non dicimus quod Deus sit circūscriptus quod aliquid posset esse in circuitu eius in quantū deus, sed auctoritates similes habent ueritatem ad litterā in illo iusto quē propheta describunt, nunc loquentes de eius humilitate, nunc de eius maiestate, & de hoc loquitur Malachias cap. iij. cum dicit. Ecce dominus uenit, & quis poterit stare ante aduentum eius? Ipse enim quasi ignis conflans & sedebit & liquefaciet argētum et aurum. Ecce qualiter iustus ille qui fuit iudicatus ueniet in secundo aduentu. Et attende domine mi qualiter describit eum ibidem propheta in eodem cap. iij. cum dicit. Tūc ego ueniā & intrabo in iudicio ad eos, & ero testis uerax sup adulteris & malis & periuris, & super illos qui defraudant mercedem mercenarij, & qui spoliant pupillos & uiduas, et opprimunt peregrinum et pauperem. Et idem, domine mi, describit Ezechiel, cum dicit. xxxiiij. cap. ubi loquitur de pastoribus & ouibus, dicens. Ego separabo ab eis. s. à iustis trāsgressores & incredulos, hæc nō habet translatio nostra. sed in arabico dicit sic. O domine mi, ecce quod in secūdo aduētū separabit incredulos de medio iustorum sicut etiam dicunt Malachias & Ezechiel clare. Et in primo aduentu nemo nostrum cognouit eum, quia exiuerat limites humanæ naturæ. Sicut dicit Deus per os Esaiæ propheta cap. liij. & inter iniquos cōputatus est, et propter hoc non reputauimus eum. Et Hierem. dicit. xvij. cap. Ipse

PARASTASIS.

cap. Ipse est homo, & quis scit eum? Et timeo, domine mi, quod patres nostri in primo aduentu Messie defecerunt, & errauerunt, & propter hoc sumus in ista captiuitate quae non habet finem. Et tamē quicquid contingat dei sumus, & in ipso speramus.

CAPVT XI.

De secundo aduētū Christi, quod tunc sit cum potentia iudicaturus.

Domine mi, paueo ne iste iustus iudex sit ille qui iudicaturus est cum potentia in aduētū secundo, & qui fuit saluator in aduentu primo omnium qui crediderunt in eum, quoniam propheta Dauid dicit de illo. Notum fecit dominus salutare suum, & in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Adhuc dicit Esa. cap. xij. Haurietis aquas de piscinis saluatoris, quod dictum, secundum uidere meum, intelligo de baptismo. Nam in primo aduētū saluauit per aquam, & in secundo iudicabit per ignem. Et de isto saluatore dicitur, domine mi, Job. xix. Scio quod saluator meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea oculi mei uidebunt Deum meum. Attende, domine mi, quod uocat istum saluatore Deum. Constat autem quod oculi carnis non uidebunt Deum. Ecce habemus secundum scripturas quod saluator est iste Deus iustus, de quo est sermo, & solus potest dici uerus iustus, quoniam nullum peccatum fecit, secundum quod de illo Deus testificatur per os Esaię prophete. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Nec de Moysen nec de

B 3 aliquo

V E R I M E S S I A E

aliquo Prophetarum dicitur q̄ sit saluator iustus & sine peccato, quia Moyses peccauit, & omnes Prophetae peccauerūt, sicut uos scitis, domine mi. Et idcirco nullus eorū uocatur iustus in scriptura, sed illud nomen isti soli seruetur, Et sine dubio, non saluatur, nisi hij, qui credūt primū aduentum suū, & illi qui nō credūt nō habent causam aliā q̄ saluetur in secūdo aduētū eius, sed digni sunt morte, quia digni erāt morte illi qui non credebant Moysi, & non obediebāt ei qui fuit peccator, quātomagis digni sunt igne illi qui non credunt, & blasphemant istum iustū & dominū qui Peccatū nesciuit unquā. Quicquid tamē eueniat Dei sumus nos.

CAPVT. XII.

De Christi ascensione.

Domine mi, nos inuenimus ī scripturis q̄ Christus exaltabitur de terra ad coelū, & ego timeo q̄ illud sit completum in isto qui fuit interfectus à patribus nostris, et de ista exaltatiōe dicit Dauid Propheta in Psal. xxiiij. O magnates aperite portas principatus uestri, & eleuamini portae aeternales, & introibit princeps glorie. Et attende domine, q̄, respondēt illi angeli. Quis est iste princeps glorie? & ipse respōdet illis. Dominus uirtutū fortis in proelio. Et cōstat, domine mi, q̄ iustus iste dominus uirtuū nō habuit proeliū nisi in primo aduentu suo, quia quādo sedebit ad iudicandū, ignis in circuitu eius exardescet, & inflāmabit in circuitu inimicos eius, & conflabit iustos per ignem quasi argentum. Et hoc in ultimo
eius

P A R A S T A S I S.

eius aduentu. Nullus autem preliabitur contra illum, nec locus erit pugne. Adhuc de iusti huius exaltatiōe dicit Esai. capi. lxiij. Quis est iste qui uenit de Edom de terra, rubens uestimentis eius de Bosra, sicut ille formosus in stola & respondet hijs iustus iste. Ego qui loquor iustitiā, sum expugnator ad saluationē, & dicunt ei angeli. O domine quare rubrū est uestimentū tuum sicut calcātis torcular? Respondet, dicens illis. Torcular calcaui solus, & nō erat uir mecū. Vide domine mi, quā proprie loquitur Esaias, & timeo q̄ huius iusti respōsio nō tangat nisi nos, cū dicit. Calcaui eos in ira mea, donec aspersus est sanguis eorum super indumenta mea, & inquinata sunt omnia uestimenta mea. Sed dies ultionis in corde meo, & annus retributionis mee uenit. Quantū ergo sperare possumus in iusto isto, domine mi, ubi scimus ipsum de nobis angelis fuisse conquestum in cælo, & notificauit eis q̄ ipse calcauerit torcular solus. Et quid aliud calcauit in ira sua nisi nos, qui post bellū q̄ habuit in primo aduētū suo, p̄strati sumus ab eo, & calcati, iam sunt mille anni, & adhuc restat dies ultionis in ultimo eius aduētū, & annus retributionis in corde suo. Vtinā domine mi, quādo interfecimus Esaiā deleuissimus istā auctoritatē prædictā de prophetia sua, q̄ nūquā legeretur ab aliquo. Et ecce qd̄ Dauid uocat bellum, cum dicit, Dominus uirtutum fortis in bello. Hoc Esaias uocat torcular. Hec domine mi, nos bibimus mustū illud, de quo etiam dicit Iacob Patriarcha & Propheeta, ut habetur in libro generatiōis creaturarū cap. xlix. de

V E R I M E S S I A E

Juda. Lauauit stolam in sanguine .s. uuae, sicut est factū in nobis in primo aduentu Messiae, sed quid faciemus in aduētu eius ultimo, quando stabunt homines coram homine iudicante, & in circuitu eius erit ignis paratus ad deuorandū illos, cōtra quos tulerit sententiā. Tunc enī nō erit tēpus belli, nec iam in torculari calcabitur, quia iam extunc non erit locus nec tempus penitendi nec refugij, sed iustitia, ut sicut ipse iudicatus fuit sine peccato quod inueniretur in eo, sic ipse iudicabit peccatores. Dicit enim Deus in prophetia Salomonis Prouerbiorū duodeccimo. Quādo iustus recipiet iudicium, ubi erit impius & peccator? Vnde si iustus uix saluabitur, quid erit tunc de impio?

CAPVT .XIII.

Adhuc fortius probat corporalē ascensionē Christi.

Valde timeo, domine mi, quod haec quae dicta sunt testimonia prophetarum de illo iusto. Quod scilicet fuit uenditus pro argēto, ut dicit Amos propheta. Quod calcauit torcular, ut dicit Esaias. Quod gessit bellū cū patribus nostris, sicut dicit Dauid. Quod captus fuerit ī peccatis nostris, sicut dicit Hie. Quod uulneratus fuerit in palmis suis, sicut dicit Zacha. Quod super eius uestem missae sunt sortes, sicut dicit Dauid. Quod ascēdit in cōelum, sicut dicit idem propheta & alij. Quod non conueniat deo in essentia siue in natura diuina, secundū quam nec resurgit, nec exaltatur, nec sedet, nec descendit. Ex his quae dicta sunt sequitur necessario, quod iam uenerit ille iustus, cuius naturae corporeae haec praedicta, et similia poterunt con-

P A R A S T A S I S

terunt conuenire. Si autē tibi uideatur forte durū credere,
domine mi, quod homo corporeus ascendit in cœlum audi
auctoritates & exempla quæ mihi occurrūt de scripturis
nostris. Et super hoc dicit Dauid Propheta de illo. Ascen-
dit Deus in altum & saluabit captiuitatē, dedit dona ho-
minibus. Dicit etiam in psalmo. lxxvij. de ascensione eius.
Iubilate deo & glorificate nomē eius, iter facite, qui ascē-
dit de partibus occidentis, dominus nomen illi. Adhuc, do-
mine mi, dixit Dauid de illo in psalmo quem tu habes in
corde. Iubilate deo qui ascendit super cœlum cœli ad oriē-
tem. Et de isto dixit Amos cap. ix. Dominus est qui ædifi-
cauit in excelsis sedem suam. Et de ipso dicit etiam Dauid
in Psalmo. lxxvi. Ascēdit deus in iubilo & dominus in uoce
tubæ. De ipso etiam dixit Aser propheta cap. iij. Vidi ho-
minem descendentem de corde maris & peruenit usq; ad
cœlum. Et quia nō habemus istā prophetiā, obmisi multa
scribere quæ allegat super hoc immo habemus eum, sed
ipse tunc nesciuit quod Aggeus in latino uocaretur. Aser
in arabico. Dicit etiam Moyses in cantico. Leuabo ad
cœlum manum meam. Et Deute. xxxiiij. dicit etiam Esa.
cap. xxi. Consurge, consurge brachium domini. De isto
etiam ait Anna mater Samuelis primo Reg. ij. cap. Dabit
dominus imperium regi suo & sublimabit Christū suum.
Dauid etiam dixit. Ascēdit dominus super pennas uento-
rum. Et heæ auctoritates occurrunt mihi ad probandum
exaltationem Christi corporalem usq; ad cœlum, Et sunt
plures aliæ quas tu domine bene scis. Nunc etiam exempla

B s aliquæ

V E R I M E S S I A E

aliqua adducam de lege nostra, quia uidetur etiam nobis
 multum incōueniens credere, quod in corpore ascendit in
 cœlum & hoc est propter considerationem, nam in lege
 & in prophetis inuenimus quod Deus uerus et gloriosus
 aſſumpſit de terra, et eleuauit plures ſanctos uiros patres
 nostros. Et ſi de iſtis non dubitamus propter eorum ſancti
 tatem & propter teſtimonium ſcripturæ, quare dubita
 mus de aſcēſione iſtius iuſti in corpore & anima, cui ma
 gis ſcriptura perhibet quam illis teſtimonium ſanctitatis.
 Et quia durius bellum ſecundum Prophetas ſuſtinuit, &
 plures captiuationes mundi quam aliquis de prædictis. Et
 præterea, domine, ſine exempli poſitione ſcis, quod Ma
 tuſalem & Enoch iuſti, & Helias propheta fuerunt aſ
 ſumpti à Deo de mundo iſto in corporibus ſuis. De Moſe
 etiam non eſt dubitandum, quin ſit in cœlo in corpore &
 anima, ut dicitur Deute. xxxiiij. dixit Deus ad Moſen.
 Ascende in montem nocte, & morere ibi, & aſcendit in
 montē et mortuus eſt ibi. Et neſciuit homo ſepulchrū eius
 uſq; in hodiernū diem. Et quid ſignificat, quod ſepulchrū
 eius eſt ignotum in terra, cum ipſe fuit Propheta maior
 & ſanctior alijs, niſi quod Deus reſuſcitauit eum, & aſ
 ſumpſit eum in corpore & anima ſicut alios iuſtos aſſum
 pſit & eleuauit ad locum ubi ſunt. Nec nos debemus mira
 ri ſupra hoc quod aër iſte leuis & ſubtilis poſſet portare
 corpora tam groſſa & ponderoſa, quia nos ſcimus quod
 aqua quæ eſt in raritate ſimilis aëri quando placuit poten
 tiæ omnipotenti, portauit corpora filiorū Iſraël in eorum
 exitu

P A R A S T A S I S.

exitu de Aegypto, & quādo fuit acceptū sacrificiū, ignis
 descendit de caelo, & eleuauit & portauit corpora peco-
 rū & boum quae offerebātur deo. Moyses uero & Helias
 prophetauerūt de illius iusti eleuatione, ac alij Prophetae.
 Vnde cum oportet nos esse credentes de eleuatione corpo-
 rea dictorū sanctorū, cur sumus increduli de eleuatiōe isti-
 us iusti & eū eleuatū esse in caelū, de quo tot sunt testimo-
 nia prophetarū in scripturis, sicut dictū est. Et posset in-
 duci, ut quia satis apparet quod Deus assumpsit praedictos
 sanctos, de quibus nullus dubitet, ut ad fidem disponentur
 corda hominū, & ut de ascēsiōe sui iusti etiā nō dubita-
 rēt. Est autē et alia causa quare et ipsi nostri dubitāt, quia
 aduētus eius primus fuit occultus, & modus insolitus, si-
 cut dicit Esa. Homo est & quis cognoscet eum. Idem pro-
 pheta etiā dicit. Virgo cōcipiet & pariet filiū. Vbi aduer-
 tendū est q̄ tacet de patre secundū carnē, & propter hoc
 q̄ alibi dicit. Non reputauimus eū. & Hierē. cap. xxxi.
 dicit, Signū nouū creauit Deus super terrā, mulier circū-
 dabit & c. dicit etiā ca. v. Propter hoc dabit eis Deus usq̄
 ad tēpus in quo parturiens pariet. Et notandū q̄ non fa-
 cit Propheta mentionē de marito istius parturiētis, cū in-
 quit, natiuitatē istius iusti qui solū natus est praeter solitū
 modū, cursumq̄ carnalē, qui est ex uiro et foemina, sicut
 de illo praedictū est per os Esa. c. ix. cū dicit. Audite domus
 Iacōb, Deus dabit uobis signū, uirgo cōcipiet & c. Omnes
 autē alij sancti qui dicti sunt, nati sunt de foemina et uiro
 carnaliter cōcepti i peccato, et omnes fuerūt peccatores,
 & ipse

V E R I M E S S I A E

Et ipse Moyses sanctior parētibz prophetis peccauit, et confitetur per os suū se peccasse, de iusto autem isto dicitur per Esaiā. liij. cap. Qui nunquam peccauit, nec inuēitū est mendaciū in ore eius, de alijs omnibus sanctis dicit deus per os Iob cap. xxv. In omnibus sanctis suis nō est inuētus sine prauitate. Et Hierē. propheta dicit cap. xyij. Corda hominum praua.

CAPVT XIII.

De cecitate Iudaeorum, quod non credunt Christū aduenisse nec intelligunt.

TImeo, domine mi, quod sit cōpletū in nobis q̄ dixit dominus per Esaiā prophetā. Cecidit cecitas super Israēl quousq; intrauit plenitudo gentiū, Et iterum dicit cap. vi. Audientes audiēt Et nō intelligēt, et uidentes uidebunt Et non cognoscēt, quia corda istius gentis sunt in grossata. Et adhuc eodē cap. Excæca cor populi huius, Et obtura aures eius ne forte addiscant Et cōuertātur ad me Et sanem eos. Et dixit Esaias. Vsq; quo domine, Et dixit, quousq; sint ciuitates desertæ, et maneat domus sine habitatore. Dixit etiā Daniel cap. xij. Claude sermones et inuoluc prophetiā. Et Hierē. xyij. Peccauit Iudæ scriptū est stilo ferreo in lapide adamantino, Et extensū super latitudinē cordis eorū. Et Esa. cap. primo. Cognouit bos possessorē suū Et asinus præsepe domini sui, populus autē meus non intellexit. Et iterum. viij. Miluus Et hirūdo Et ciconia sciūt tēpus aduentus sui, populus autē meus nō cognouit me, Et hæc omnia, domine mi, dicta sunt propter nos, quia

P A R A S T A S I S.

quia non cognouimus aduentum istius iusti domini. Et de nobis dixit dominus per Esaiam cap. xliij. Elongate foras gentem cecam, & non habentem oculos, & surdam, & non habentem aures, ecce omnes congregati sunt. Et quid uoluit dicere Propheta per hæc uerba, nisi quod Deus nos repulit, quia non cognouimus tempus istius iusti citius. Et congregauit ad se in fide Gentes loco nostri. Super quo admiratus Dauid dixit in psalmo. lxxxi. Hæc est mutatio dextera excelsi. Nos tamẽ Dei sumus in casu isto nostro, & in captiuitate ista, quæ non habet finem in qua sumus, iam sunt mille anni, & hoc tamẽ non accidit ita male patribus nostris, qui adorauerunt idola, & occiderunt prophetas, & transgressi fuerunt legem ex toto corde suo.

CAPVT XV.

Quomodo cecitas Iudeorum & incredulitas circa Christum fuit prænuntiata per prophetas.

Timeo, domine mi, propter hoc quod quia non credimus in isto iusto, idcirco accidit nobis & completum est illud quod dixit Deus per os Esa. cap. xix. Erit prophetia tanquam uerbalibri clausi qui dabitur lectori, & dicetur, iste liber clausus est, nescio quid est in eo, & tunc dabit nescienti litteras, & dicet, nõ sum lector ego. Et quæ clausura libri maior est, domine, quàm clausura qua clausit Deus corda nostra, iam sunt mille anni, & ultra, nec possumus cognoscere per prophetiam nobis traditam à Prophetis super aduentum istius iusti, propter quod alibi dixit Deus per prophetam. Desolabi-

V E R I M E S S I A E

tur Hierusalem, & corruet domus sancta. Dixit etiam ca-
 pi. primo. Terra nostra deserta, ciuitates nostre succensae
 igne, & remanebit Syon sicut tugurium in uinea disipa-
 ta, hoc est, domine mi, & iam sunt mille anni, & ultra. Di-
 xit etiam Esaias capi. xxv. Domine Deus exaltabo nomē
 tuum quia posuisti ciuitatem in tumultum, & domum in
 confusionem, ut non sit usq; in eternum. Et. xxx. capi. di-
 xit. Conteret populos cōteritione uasis fragilis, in quo nō
 remanet pars ad portandum carbonem ignis, nec hauriē-
 dam guttā aquae. Completum est etiam, domine mi, quod
 dixit Daniel capi. ix. Postquam fuit occisus Christus, re-
 manebit desolatio perpetua, in qua desolatiōe sumus. Iam
 sunt mille anni & ultra. Dixit etiam Esaias. xxiiij. capi.
 Relicta est in urbe solitudo, & sibilabit terra eorum sibi-
 lo usq; in sempiternum. Dixit etiam Hieremias. c. xvi. Ar-
 gentum reprobū uocate illos, quia dominus proiecit eos.
 Dixit etiam Esa. ca. l. Ambulate in lumine ignis uestri, &
 in flammis quas succendistis uobis, in quibus flammis nos
 sumus. Iam mille anni sunt. Et dixit etiam Amos. v. capi.
 Domus Israēl cadet & nō est qui erigat eā. Et uidetur mi-
 hi, domine mi, q; Deus induxit super nos ruinam istā post
 aduentum iusti huius, postquam propheta nullus surrexit
 in nobis, nec surget sicut prophetatum est nobis, quia nos
 manemus in incredulitate nō recipientes fidem illius, sed
 negantes. Dixit etiam Oseas primo cap. Cum accubit mu-
 lier super terram & peperit, dixit Deus, uoca nomē eius
 sine misericordia, quia non miserebor populo huic. Et si
 Deus

P A R A S T A S I S .

Deus projecit nos, & non miseretur nostri, ut experti sumus, iam sunt mille anni & ultra, Quae utilitas est nos habere Legem, Circūcisionem, & Sabbatum. Dixit Esaias liij. ca. Educ foras populum cæcum, sicut eduxit nos de terra nostra Deus uerus, & gloriosus. Iam sunt mille, & ultra. Dixit etiam idem. xxvi. capite. Vetus error abiit. Et quid est antiquum, nisi Lex nostra, quae recessit à nobis, domine mi, cum rege, cum sacrificio, cum incenso, & cū altaribus. Et quid peius nobis poterit euenire? & quid est quod nos expectamus? Nonne uidemus q̄ dispersit nos per quatuor partes mundi in dispersionem, sicut dixerūt nobis Moyses, Hieremias, & Esaias, & alij Prophetae. Et tamen nos Dei sumus, & ad ipsum recurrimus in omni euentu.

C A P . X V I .

Ostēdit reprobationē Iudæorū propter eorum perfidiā, & electionē gentiū propter eorū fidem.

Tl meo, domine mi, cum nos dicimus inter nos, ego et tu etiam sumus filij Iacob & Israël, quia iam completū est illud quod dicit Deus per os Esa. ca. lxxiiij. Interficiet te Deus ò Israël, & uocauit seruos nomine alieno. Pauco q̄ de illis seruis sumus, quibus debet imponi illud nomen, secundum q̄ Moyses dixit Deuteronomij xxviiij. Erunt Gentes in capite, & populus incredulus in cauda, sicut nos sumus, iam sunt mille anni & ultra. De illis etiā dixit Hiere. ca. xij. Replebitur terra fide Dei, et redūdabit sicut aqua maris, et de illis dixit Salo. iij. Reg. viij. Domine Deus cū uenerit alienigena ad domū sanctā tuā,

& in

V E R I M E S S I A E .

& inuocauerit nomen tuum benedictum, exaudi eum do-
 mine Deus meus, ut discat uniuersa terra nomen tuum ti-
 mere, sicut populus Israël. In quo ergo gloriabimur do-
 mine mi, et quare cōtemnimus Gentes? ex quo Salomon pro-
 pheta fecit eas participes in timore Dei, & in domo san-
 cta nobiscum, & forte nos indignos eiecit Deus de ista do-
 mo, & dedit eam istis, & de illis etiam dixit Moyses.
 Hec dicit dominus Deus. Replebitur terra tota gloria do-
 mini, Et de ipsis dixit Dauid in Psalmo. xxi. Praeuenient
 & cōuertentur ad dominum uniuersi fines terrae, & mil-
 le generationes. De ipsis etiam dixit Esaias. c. lx. O domus
 Dauid sancta, uenit lumen tuum, & gloria domini super
 te orta est, & c. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, &
 Reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tu-
 os & uide, omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi, & fi-
 lij extranei edificabunt muros, & principes eorum serui-
 ent tibi. Et qui sunt isti filij extranei, Domine mi, qui ue-
 nerunt ad domum Dei, nisi Gentes quae seruebant Idolis
 qui erant extranei à Deo, & ipsi principes & reges eo-
 rum, de quibus dixit Deus q̄ ambulabunt in lumine do-
 mus sanctae, & nos erimus in tenebris extra illam & su-
 mus, iam sunt mille anni. Dixit adhuc idem propheta de
 illis, ca. lxxv. Ecce Gentem quam nesciebas, uocabis, & na-
 tiones quae te non cognouerunt ad te uenient. Et sicut de
 facto uidemus, hodie sunt mille anni & ultra, quia CHRI-
 STVS missus secundum legem nobis datam uenit, & Gē-
 tes quae legem non nouerant, uenerunt ad eum, & ipse de-
 dit

P A R A S T A S I S.

dit eis Legem nouam, puram, & sanctam. Adhuc xlvi. cap. Concordauerunt, & reges eorum cōgregati sunt in fide dei. Et timeo, domine mi, de illis fuisse dictū eodē cap. Congregamini omnes & uenite gentes, quæ saluata estis per deum ex gentibus. Et de populo dixit Esaias. lxxv. cap. Quæsierunt me & non interrogabant, & inuenerūt me qui non quærebant me. Et de ipsis etiam dicit Hieremias capite. iij. Congregabuntur omnes in nomine domini, in domo sancta, & non ambulabunt in prauitate cordium. De ipsis idem propheta dixit cap. xvi. Ad te uenient omnes gentes ab extremis finibus terræ, & dicent, Non hereditauerunt patres nostri nisi mendacium & iniquitatem. Et de ipsis dixit Sophonias cap. iij. Datum est Gentibus ut loquerentur simul in nomine domini, & seruiant ei humero uno, omnis homo de loco suo, & omnes in insula gentium. Et de illis dixit Zacharias. ij. cap. Letare domus Syon, quia ego ueniam ad te, & habitabo in medio tui in illa die, & appropinquabunt deo Gentes in multitudine sua. Dicit idem Propheta. viij. cap. Hæc dicit dominus Deus exercituum, uenient Gentes multe de locis multis, & dicet uir ad uicinum suum, uadamus & queramus dominum Deum in bono. Et ista, domine mi, cōpleta sunt nūc, & complentur in oculis nostris de plano, uides populos, & linguas legere libros Legis & Prophetarum omnium, & psalterium, dimissis idolis suis, nullus ex eis credit per manum Moysi nec Aaron, nec alicuius Prophetarum nostrorum. nec aliquid remanet de Fide ab idolis ab illo tem-

C pore

V E R I M E S S I A E

pore quo crediderunt iusto illi, de quo dicit Abacuh cap.
iij. Egressus es domine ad salutem populi tui, ad salutem
cum Christo tuo.

CAPVT XVII.

De uiuificatione gentium & interfectione
Iudeorum prout etiam uidebitur
in cap. sequenti.

Timeo, domine mi, quod Deus uictor & gloriosus ui-
uificat illas gētes per fidē, & interficit nos in incre-
dulitate nostra, sicut ipse dicit per os Esaię prophe-
te. lxxv. cap. Pro eo quod uocaui & non respondistis hæc
dicit dominus Deus, ecce serui mei comedent, & uos esu-
rietis. Ecce serui mei bibent & uos sitietis, ecce serui mei
gaudent in exultatione cordis, & uos concutiemini præ
amaritudine cordis, & interficiet te Deus ò Israël, & uo-
cabit seruos suos nomine alio, in quo benedixit illis qui est
benedictus super terram, Amen. Et nos uidemus recepto-
res istius nominis benedictos à Deo super faciem terræ,
& nos dispersit. s. in captiuitate per quatuor partes mū-
di. Hodie sunt mille anni, Et apparent expresse in nobis
uestigia iræ dei, nō ad castigationē, sed ad destructionem,
& illa est interfectio quàm Deus comminatus est, quod
interficiet Israël, & illa Gentes uiuæ, quas uocat seruos,
recipient nomen quod Deus promisit, sed non ante moriē
nostri nominis primi secundum ordinem uerborum Dei
per Esaiam, & fames & sites quas patiemur nō est panis
aut aquæ, sed cordium & animarum sterilitas, & fames
uerbi

P A R A S T A S I S.

uerbi dei, sicut prophetae declarant per os Amos cap. viij.
Et tu domine, scis hoc plenius quam ego. Veruntamen Dei
sumus in omnibus que accidunt nobis.

CAPVT. XVIII.

Quomodo Gentes per fidem
uiuificatae habent mun-
das obseruantias
nouae legis.

Timeo, domine mi, quod gentes que iustificatae sunt,
iam sunt mille anni postquam fuit mortuus IESVS
in Hierusalem, quia nihil boni habuerunt antequam
crediderunt in deo & in Christo & in Apostolis, quoni-
am ipsi forte erant illi pisces et illae bestiae de quibus loqui-
tur Abacuch Propheta que non habent ducem, & ipsae
gentes purificatae per fidem habent ieiunia sua & obser-
uantias suas legis nouae, et habent cuncta illa que ad mundiciam
pertinet in lege antiqua contenta iudeorum. Vides quod in omni
lingua, et in omni loco in Oriente & in Occidente Gentes sunt
confitentes in nomine domini, & non credunt in eum per
Moysen, nec per aliquem prophetarum, quamuis sunt studi-
osi in lege & in libris omnium prophetarum sed Deus uoca-
uit eos per discipulos iusti, qui egressus est cum deo ad
salutem eorum, sicut ipse deus benedictus & gloriosus praedi-
xit per os Abacuch Propheta. Et isti discipuli eius fue-
runt filij nostri de filiis Israel, qui alio nomine uocantur
Apostoli. Valde timeo, domine mi, quod isti sunt illi de qui-
bus dixit Deus per os Dauid in psal. In omnem terram exiit

C 2 sonua

V E R I M E S S I A E

sonus eorum, & in extremis finibus extensa uerba eorū.
Et uerba prophetae expresse demonstrant nobis quod de
istis loquitur & non de nobis, cum dicit, non erit lingua,
neq; sermo qui non audiant uoces eorum, & hoc non po-
test esse de lingua nostra Hebraea, quae enim Gentes obedi-
unt praeceptis Moysi & Aaron, quinimmo, ipsi interfece-
runt gentes & fugauerunt eas à se. Haec autem gentes sci-
unt hodie Moysen & Prophetas, & cognoscunt Deum
& seruant legem nouam sicut Apostoli docuerunt eos.
Attamen dei sumus.

CAPVT XIX.

De electione Apostolorum
loco prophetarum.

Timeo, domine mi, quod illud quod Zacharias pro-
pheta dixit cap. xiiij. Percutiam pastorem et disper-
gentur oues gregis, fuit completum quādo nos per-
cussimus pastorem istorum puerorum & sanctorū Apo-
stolorum, extunc nos oues dispersi sumus per uniuersum
orbem, & isti filij nostri, scilicet Apostoli, surrexerunt lo-
co Prophetarum, quod apparet ex hoc quod Deus post il-
los non misit nobis Prophetam, nec notificauit aliquid per
uisionem. Timeo, domine mi, quod isti pueri sint Apostoli
de quibus dixit Deus per os Iohelis prophetae ca. iij. Senes
uestri somnia somniabunt, & pueri uestri uisiones uide-
bunt. Certissime, domine mi, senes sunt Prophetae nostri,
qui somniauerunt fidem gentium, quā cōsecuti sunt il-
li pueri, scilicet Apostoli, & uiderunt. Et de istis pueris
dixit

P A R A S T A S I S .

dixit Dauid Propheta. Venite filij, audite me, timorem do-
 mini docebo uos, & Deus non nominat filios in plurali,
 sed solum nominat eos Israël primogenitū in usu loquēdi
 cōmuni. Et in alio psalmo nominat istos pueros filios, cum
 dicit. Filij tui sicut plantæ nouellæ. De Israël, domine mi,
 dixit Deus per os Esa. cap. v. Vineæ dei exercituum fuit
 domus Israël, expectaui quod ueniret cum uua, & uenit
 cum spinis, propter hoc ego adducam qui destruet illam
 in cōculcationem, & de illis prædictis filiis dei qui uocan-
 tur Apostoli. Dixit Deus per os Esa. xiiij. cap. non modo
 erubescet Iacob nec liquefiet facies eius. Sed tunc quando
 uidebit de filiis suis illos quos creauerunt manus meæ san-
 ctificatos ante oculos suos. Et si essent, domine mi, filij isti
 sanctificati corā nobis secundum uiam Legis nostræ, non
 diceretur de nobis quod essemus in erubescētia, propterea
 & dissolueretur facies nostræ, immo haberemus gloriam
 & resplenderet facies nostræ sed confusio facierū Iacob
 & desolatio est ista, quod isti filij quos Deus creauit manu
 sua. s. Apostoli sunt sanctificati corā nobis, & non secun-
 dum legem nostram. Propterea Deus dat intelligere quod
 Lex nostra non est lex ipsorum. Dixit etiam deus per os
 Hierē. cap. xxv. In illa die non dicent, Patres nostri come-
 derunt uuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt,
 sicut infidelitas Iudeorū non nocuit fidei Apostolorū nec
 nocebit, & propter hoc scribitur. Viuo ego, dicit domi-
 nus, si erit ultra prouerbiū istud in Israël, quia nunquā ali-
 quis de Apostolis postquā receperūt fidē redijt ad fidem
 C 3 nostram,

V E R I M E S S I A E

nostrā, quare nō sentiunt acerbitatē infidelitatis nostrā,
 sicut dētes nostri obstupescūt de peccato patrū nostrorū.
 Adhuc de istis filijs, domine mi, qui sunt Apostoli dixit
 Deus per os Esa. propheta. A quo trnasmigrabo nisi à
 populo meo. Filij autē qui erunt infideles, Deus erit saua
 tor eorū in omnibus angustijs corū, & uultus eius custo
 diet eos in charitate eius, & in clementia redemit eos, &
 propitius erit eis in longitudine dierum. Verissimū est, do
 mine mi, quod isti filij de quibus loquimur semper manse
 runt firmi, nec Deus transmigravit ab eis ab illo tempo
 re quo redemit rex ille iustus, magister eorū, sed transmi
 grauit à nobis & fuit semper cum eis, & de istis etiā filijs
 qui sunt Apostoli, dixit sapiens Iesus filius Sirach in li
 bro suo capit. iij. Audite filij carissimi & operamini in sa
 lutem, quia honorat Deus patrem in filijs, et qualiter in
 telligi debeat honor ille declarat Deus per os Malachie
 cap. iij. Mittet Deus Heliam qui conuertat corda patrum
 nostrorum ad filios. O domine, si Deus debuisset conuerte
 re corda filiorū. s. Apostolorū ad patres, cū hoc debeat in
 telligi de fide, tunc isti filij. s. Apostoli fuissent nobiscū in
 captiuitate ista quæ non habet finē, sicut & patres nostri
 & nos sumus. Sed ex quo Deus ordinauit quod debeant
 corda patrū ad filios cōuerti, quid est q̄ expectamus, do
 mine mi, & quid præstolamur. Et si uoluerimus dicere q̄
 alij filij debēt esse præter A postolos, de quibus intelligen
 tur prædicta, illi erūt in captiuitate sicut & nos, ex quo
 uia illius iusti nō sunt secuti, quem Apostoli firmiter secu
 ti sunt

P A R A S T A S I S .

ti sunt & docuerūt sequendā, & propter hoc habēt hono-
rem patrū, in hoc quod patres dicūtur ad illos conuerti.
Cum ergo, domine mi, filij nostri uenerunt antequam nos
ad fidem dei, si corda nostra conuertātur ad filios, corda
eorū conuerterētur ad nos. Et sicut dicit Deus altissimus.
Erūt populus unus, animus unus, in deo glorioso, et uicto-
rioso, quia nō debemus intelligere illam conuersionē nisi
de infidelitate ad fidem & doctrinā illius iusti, qui est ma-
gister salutis eorū qui credūt in eo, & secundū quod dixit
Dauid de eo. Ipse est cuius sacerdotiū erit secundū ordinē
Melchisedech in æternum, quo obtulit sacrificiū panis &
uini, & fuit Melchisedech sacerdos dei altissimi ante
Aaron. Et attende, domine mi, quanta sit differētia inter
sacrificiū Aaron, et iusti istius domini. Dixit dominus do-
mino meo, tu es sacerdos in æternū, nō ad tēpus sicut Aarō
qui mortuus fuit cxx. annorū. Item sacrificiū Aaron fue-
runt carnes, & sacrificiū illius iusti domini fuit panis &
uinū secundū ordinē Melchisedech. In quibus uerbis domi-
nus per Prophetā ostēdit manifeste, quoniam sacrificium
Aarō finiretur quādo incipet illud sacrificiū in æternū, et
ordiatio sacrificādi, sed Aarō finiretur quādo incipet sacri-
ficiū in pane & uino eternaliter duraturū. Sed de hoc, do-
mine mi, ad huc habeo loqui, specialiter dicam aliqua pau-
ca de istis filijs dei quæ mihi occurrunt, de quibus dixit
Deus per os Iesu prophete filij Bethoni capite primo.
Erit locus in quo dicitur. Vos estis filij dei uiui, &
iste locus, domine mi, absque dubio est ecclesia, quia
C 4 Propheta

V E R I M E S S I A E

Propheta denominat locum, sed quod dicit erit locus, quia
 synagoga, quae est locus primus, iam erat, & synagogam
 uocat Deus per os Moysi & Aaron & omnium Prophe-
 tarum primogenitū meum, sed in plurali & quasi quem-
 libet in speciali, istos seruos genitos uocat propheta filios
 dei. De illis filijs dicit etiam Deus per os prophetae Moysi.
 Deute. xxxij. Sanguinem filiorum ulciscetur & lauabit
 terram populi sui, & nos domine occidimus prophetas et
 non fecit uindictam de eis nisi per lxx. annos, sed occidi-
 mus Apostolos & iustum magistrū eorum, & fecit Deus
 uindictam de filijs. Iam sunt mille anni & ultra, Et per
 mortem ipsorum lauit Deus terram populi sui, & non
 dixit terram filiorum Israël. De ipsis etiam filijs dixit Da-
 uid in psalmo. cxxxv. Sicut sagittae in manu potentis, ita
 filij fideles. Comparat enim propheta istos filios fideles
 sagittis emissis de manu potentis, quia Deus omnipotens
 misit eos ad. xij. partes mūdi per quattuor mundi climata
 fideles hos filios cum doctrina Legis, Psalterij & Prophe-
 tarum. Moysen autem & Aaron non misit extra domum
 sanctam ad docendum, quia non ad Indiam, Romam, nec
 ad alia loca extra terrā sanctā misit eos annūciare doctri-
 nam Legis & Prophetarum, sed isti fideles filij sic pro-
 iecti uel missi per uniuersum mundū, surrexerunt coram
 deo loco nostri, postquam Deus occidit Israël & nomen
 nostrum, quod bene innuit Dauid in psalmo cū dicit, pro
 patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos filios reges
 & principes, & per istos innouata est Lex prima secun-
 dum ordi-

P A R A S T A S I S :

dum ordinem Melchisedech, qui sacrificium dei instituit in pane & uino, ex quibus communicauit Abraham amico dei, prout extat in lege certum, apud quem Deus per ministerium istorum mutauit sacrificium nostrum, sicut mutauit nomen nostrum, et sicut mutauit legem carnalem nostram in legem spiritualem. Et si Deus dixisset nostro Moyse sicut dixit per os Dauid Messiae siue Christo. Tu uenies sacerdos in aeternum secundum legem Moyse et Aaron staret illa Lex, sed dixit. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Et amicus dei comunicauit de sacrificio panis & uini, & non de sacrificio carniuum. Ad hoc bene sonat uerbum Moyse, cum dixit. Comedetis uetustissima ueterum, per quod intelligit sacrificium Melchisedech. Et iterum, et nouis superuenientibus. i. nouae legis sacrificio publicato, uetera. s. uestra sacrificia proijcietis. Nos tamen dei sumus in omni euentu.

C A P V T XX.

De reprobatione sacrificij Iudaeorum & electione sacramenti Christianorum.

TImeo, domine mi, quod Deus eiecit nos a se & sacrificium nostrum, & acceptauit sacrificium gentium, sicut dixit per os Malach. cap. primo. Non est mihi uoluntas in uobis, dicit dominus, neque accipiam sacrificium uestrum, quoniam ab ortu solis usque ad occasum eius magnum est nomen meum in gentibus, quae offerunt in nomine meo sacrificium mundum, ergo apud Deum sacrificium gentium est mundius quam sacrificium nostrum. Et in super

C s quia

V E R I M E S S I A E

quia Deus priuauit nos omni sacrificio mūdo, & alio, docens Christianos ut ipsi uitarent nos, ne cōtaminarētur, sicut nos uitauimus Gentes omni tempore quo sacrificiū nostrum fuit mundum apud Deum & acceptum legis. Etiam tu, domine mi, nosti quid dicit Deus in Psal. ^{xxxix} 49 de nostro sacrificio cum ait, per os Dauid Propheta. Nūquid uidistis uos q, ego comedi carnes thaurorum, & hircorum sanguinem biberem. Per quod manifestat Deus q ipse condemnat carniū sacrificiū. Et unde est nobis, domine mi, q, nos detestamur in gentibus sacrificiū panis & uini, quod statuit Deus, & in illo reprobat sacrificiū carniū, cum Salomō describat illud Aaron, dicēs, iste scilicet Aaron extēdit manus suas super altare & obtulit sanguinem uuæ & incensum Deo uiuo, & obtulit sacrificiū nostrum de granis terræ, sicut Melchisedech obtulit pro Abraham. Deus etiā testificatur per os Iesu Prophetae capi. xix. q, nos obtulimus sacrificiū de panibus cū dixit. Non offeratis mihi sacrificiū panis, quoniam panes uestri tristitiæ sunt, & quicumq; comedit ex eis contaminabitur. Vnde nos offerebamus aliquando sacrificiū panis, sed nullum est acceptum sacrificiū Deo de manibus nostris. Et de nostro sacrificio carnis dixit Iesus Propheta filius Bethoni capite. ix. Deus magis diligit pietatem & misericordiam quā sacrificiū carniū. Declarat Deus sacrificiū Gentium per Moysen. Leuitici xxiiij. Offeretis Deo sacrificiū de leuatis de uera & de expressione uuæ, & benedicat uobis Deus & cūctis operibus

P A R A S T A S I S.

ribus manuum uestrarum. Scimus etiam nos, domine mi, q, Deus mandauit in principio poni ante Archā fœderis domini panes & non carnes. In Exodo etiam capite. xxix. dixit Moysi. Offeras hircos & cum illis panes azimos, qui panes azimi sunt sacrificium gentium. Etiā domine mi, cum Deus de hoc in libro Regum capite. xxi. præcepit Aaron per Moysen, dicens, Homo de semine Aaron sacerdotis cui habet maculam, non offerat sacrificium de panibus, nec aliud quodcunq; sacrificium. Vide domine mi, per quod præponitur sacrificium panis. Dicit etiam Deus per Moysen. iij. Regum. iij. Offeretis Deo sacrificium de omnibus habitationibus uestris, panes duos de primitijs frugum, & cum panibus arietes septem, & primo ponit, domine mi, panes, & postea carnes. In alio loco legitur, quem tu scis, domine mi, dixit Iesus. Carus & gloriosus filijs Israël, quando intraueritis terram habitationis uestræ, quam daturus est uobis dominus Deus in hereditatem, Offeretis Deo panes in sacrificium, & sacrificium totum, & adhuc thaurum cū farina purissima & pane, Ergo Deus præcepit fieri sacrificium de pane & ex farina purissima & acceptabit illud, & tale sacrificium est hodie gentium, scilicet panis ex farina purissima. De sacrificio etiam panis fit mentio primo Regum. xxi. Cum Dauid uenit ad Abimelech principem sacerdotum in Sylo, & petiuit ab eo panes, qui respōdit. Nō sunt hic panes nisi panis oblatus, quē nō conuenit comedere pueris tuis, quia sanctus est. Hæc di-

Et a

hic fit mensura de uini et aqua in
7 probat VERI MESSIAE.

Et sint de sacrificio panis, & plura dici possent, quæ tu,
domine mi, nosti. Sed quia gentes ponunt in sacrificio suo
aquam, non debet nobis inconueniens uideri, quia etiam
in scripturis sanctis inuenimus de hoc exemplum. s. quod
Deo fiebat sacrificium de aqua, & fuit deo acceptum. In-
uenimus etiam. ij. Reg. xxij. quod duo iuuenes haurierunt
aquam de cisterna quæ erat ante portam Bethleem, et pro-
pheta Dauid obtulit illam deo in sacrificium, ergo non est
contra scripturam si Gentes hodie ponant aquam in sacri-
ficio, quod faciunt Deo. Nos etiam legimus, ut dictum est,
quod Aaron fecit deo sacrificium de pane & uino, & Da-
uid de aqua, & ista tria sunt simul in uno sacrificio mundo
quantum natura patitur, & quantum intellectus noster
excogitare potest, & non sicut carnes thaurorum pingui-
um. Heliæ noster ut narratur Reg. ij. Insudit aquam super
sacrificium carniū, & Deus misit ignem de coelo, & accep-
tauit sacrificium cum aqua perfusum magis. Angelus in
figura comunicauit etiam Heliæ in pane subcinericio et
aqua, quando Heliæ ambulauit in fortitudine cibi super
illud quod natura non potest concedere. xl. diebus usque ad
montem Dei. Hoc etiam sacrificium uini cum aqua mi-
xtum pulcherrimum, & aptum describit Salomon Pro-
pheta in libro Prouerbiorum, capite. xi. cum dicit. Sapi-
entia altissima comunicauit sacrificium suum, & parauit
mensam, tunc misit seruos, dicens. Qui est paruulus ue-
niat ad me, insipientes comedent panem meum, & bibent
uinum meum temperatum aqua. Quid domine mi, men-
sa

P A R A S T A S I S.

sa parata sapientia altissimi, nisi altare? Quid domine, panis, & uinum mixtum, nisi sacrificium de pane & uino, & de aqua quod fit in altari? qui sunt insipientes uocati per seruos sapientiae, nisi gentes quae ignorabant Deum uocatae per Apostolos. Et notabiliter dicit, panem suum & uinum suum. per id enim innuit hoc sacrificium esse gratum Deo, & q̄ ad istud conuiuium tam sublime, & tam spirituale non uocauit patres nostros qui erant sapientes in lege, qui erant occupati in sacrificio legis, quod etiam carnale sacrificium non dimisit nobis, sed priuauit nos illo. Iam sunt mille anni cōpleti, quod nobis accidit propter illum iustum in quem peccauius. Attamen Dei sumus.

CAPVT. XXI.

Quod Deus refutauit ieiunia, sabbata, & sacrificia Iudeorum, & Christianorum elegit.

Valde timeo, domine mi, ab illo uerbo, quod Deus fortis & gloriosus dixit per os Malachiae capit. i. ubi sic tangit de sacrificio gentium. Ab ortu solis usq; ad occasum, Gentes offerēt sacrificium nomini meo mundum, ubi aduerto q̄ sacrificium nostrum non fuit acceptum nisi in uno loco solo, scilicet in domo sancta praesente, quo etiam loco & sacrificio priuauit nos Deus, scilicet terra promissionis, & ubiq; dispersit nos terrarū, iā sunt mille anni. Vnde uenit super nos, & completum est, quod Deus dixit de nobis per similitudinē loquens per os
Esa.

V E R I M E S S I A E

Esaiæ capit. xxij. ubi ait. Completa est uindemia & non est de cætero collectio. Vnde uenit super nos & completum est quod Deus dixit per os Malachiæ Prophete, ubi sic ait. Non est mihi uoluntas in uobis, & sacrificium non accipiam à uobis. Venit etiam, & iam completum est quod Deus dixit per os Esa. capi. primo, cum ait. Sabbata uestra, & uestiuitates uestras, et sacrificium uestrum, nõ recipiam, quia omnes uos estis in ira mea. Venit etiam, & completum est super nos, quod dixit in eodem cap. Esaias cum loquitur per eum Deus, & ait. Quid mihi multitudo uictimarum uestrarum, quid multiplicastis mihi sacrificium de arietibus, & carnibus hircorum, ego autem contempsi sanguinem uitulorum, & arietum carnes et hircorũ. Cum presentaueritis ea coram me, & quis recipiet ea à uobis? non deturpetis lapides meos sanctos. Frustranõ offeretis ultra sacrificium, quoniam incensum uestrum, & sabbata uestra, & solenitates uestras non recipiam à uobis, quia odiuit illa anima mea. Si eleuatis manus uestras ad me, auertam uultum meum à uobis. Et si multiplicaueritis orationes uestras, non exaudiam, quoniam manus uestræ plene sunt sanguine. Et omne sacrificium uestrum sicut cadauer foetidum, Et egressus atrij portæ exterioris, & ille qui mihi iugulauerit thaurum, sicut qui decollauerit hominem, & ille qui obtulerit in sacrificium hircum, sicut qui obtulit carnem, & qui obtulit uinũ, sicut qui offert sanguinem porci. Sed abominatio de sacrificijs apud Deum nihil aliud significat, nisi mutationem sacrificij nõ
feri

P A R A S T A S I S.

stri carnalis & grossi in sacrificium istius iusti domini spiri-
rituale & subtile. Qui instituit offerre panem loco carnis
um, & aquam mundam, loco pinguedinis carnis. Et uinum
purum, loco sanguinis. Et homo offertur spiritualiter &
acceptabiliter Deo, non sicut animalia decollata per nos
que per Prophetam comparatur cadaueri putrido. Nos
attamen Dei sumus, & ad ipsum redibimus in omnibus
que euenerint nobis. Et quia non credimus, domine, hec
que locutus est nobis Deus per Prophetam istum, quid de-
scribit tam euidenter de sacrificijs nostris, dixit etiam Deus
per Hicre. capi. vij. Inuitate proximos uestros ad sacrifi-
cia, & comedite cum eis carnes sacrificiorum uestrorum.
quia in die qua eduxi patres uestros de Aegypto, non pre-
cepi eis uerum de sacrificijs, sed dixi. Audite uocem meam
& ero uobis Deus, & uos mihi populus, si ambulaueritis
in omnibus que precipio uobis, bene erit uobis, & non au-
dierunt, nec posuerunt aurem suam ad dictum meum, &
tu, domine mi, es qui hoc nosti. Attamen Dei sumus in omni-
bus que euenerint nobis.

CAPVT XXII.

Probat abiectionem Synagoge & electio-
nem Ecclesie per uerbum do-
mini ad Rebeccam.

Timco, domine mi, q, de Synagoga & ecclesia intelli-
gatur uerum illud quod scribitur. xxv, capit. primi
libri legis, cum dicit, dominus Deus Rebeccae uxori
Isaac. Due gentes sunt in utero tuo, & duo populi ueniet
de

VERI MESSIAE

de utero tuo, & gens gentem superabit, & maior seruiet
minori. Domine mi, sola Rebecca fuit mater Iudeorum et
Gentilium. Populus maior & primogenitus fuit Synago-
ga, quae maior fuit honore & scientia Dei dotata. Popu-
lus secundo genitus & minor apud Deum, fuerunt gentes
in infidelitate manentes, & in ignorantia sua. Si tamen,
domine mi, Deus occidit Israël, prout describit Esaias, et
tunc tota subuersa est Synagoga, quae fuerat maior, et ser-
uiuit gentibus quae fuerat minor, ut compleretur uerbum
quod Deus dixit Rebecca. Gens gentem superabit. Etiam
de ecclesia dixit Deus per os David Psalmo. xliij. Astitit
regina à dextris tuis in uestitu deaurato distinctis colori-
bus adornata. Exponitur, domine mi, q̄ ecclesia Gentiliū
quae uocatur regina diuersitate linguarum omnium quae ser-
uiunt ei est adornata quasi colorum distinctione. Nam
omnes linguae in ecclesia concordant in uera exposi-
tione legis & psalterij & libri omnium Prophe-
tarum. Synagoga uero nō habuit nisi unam
linguam, & ornatum suum
quasi uno colore. s.
Hebraea.

CAPVT XXIII.

Probat hoc idem per uerba Mala-
chiae Prophetae.

Timeo

P A R A S T A S I S.

TImeo etiam, domine mi, de uerbis inductis superius frequēter per Malachiam Prophetam, dixit Deus Synagogæ, cum ait. Non est mihi uoluntas in sacrificijs uestris, quia ab ortu solis usq; ad occasum magnum est nomen meum inter gentes, quæ offerunt nomini meo sacrificium mūdum. Sicut de natura sua munda sunt, aqua, uinum, & farina pura, de quibus factum est sacrificium & nō indiget mundatione & lotionē, sed Synagoga indiget lauare carnes sacrificiorū, & purgare uentres animalū, quæ in sacrificio sacrificabantur, & lauare locum de sanguine et pinguedine sacrificiorū, aliter esset horror tractare. In sacrificio autem panis & uini & aquæ non apparet aliquid indecens. Prouerbio. viij. Melior est buccella panis, nihil turpe etiā corporaliter sumpta. Estimo, domine mi, quod de isto sacrificio dixit deus per Salomonem Prouer. viij. Melior est buccella panis cum charitate quā uitulus saginatus cū inimicitia. Buccella amoris, domine mi, pura est māsuētudo sup mansuetudinē, et remissio mutua offensarū, et uitulus odij saginatus est oculus p oculo, et occulta itersectio inimicorū. Ergo, domine mi, sacrificium Synagogæ est uitulus pinguis cum inimicitia, & sacrificium ecclesiæ buccella est panis cum charitate, de qua dixit Deus. Melior est buccella &c. Pulchre etiam describit Deus ecclesiam assimilando ceruis per os Salomonis Prouerbiorum. v. ubi ait. Cerua deo charissima in emulo suo, cuius ubera inebrient te omni tempore & amor illius delectet te in æternum. Synagoga enim dici

D posset

V E R I M E S S I A E.

posset cerua aliquo modo, sed non est nobis possibile exponere uerbum istud, respectu illo praesertim, quia non habet emulum unum sed emulos multos. Aemuli eius fuerunt Moyses, & Aaron, Daniel, Esaias, Hieremias, & ceteri similes. Et ecclesia est deo dilecta cerua in amulo suo uno, de quo et qua scribitur cerua charissima deo in amulo suo non habente parem in nobilitate & gratia. Tunc addit, domine mi, et dicit, inebriet te ubera eius omni tempore, delectare in amore eius iugiter, Quo significatur sacrificium ecclesiae omni tempore duraturum in aeternum. Similiter autem Deus illam matri lactanti filios, & in hoc quod dixit, inebriabo te, denotat materiam sacramenti spiritaliter quantum ad uinum, & ubera denotat in reliquis partibus sacramenti esse delectabile nutrimentum & sufficiens sacramentum, quo sacrificio iam fruatur & delectatur ecclesia. Iam mille anni sunt, a quo tempore priuauit Synagogam sacrificio. Aemulus autem ille in quo Ecclesia est tam grata deo, est Christus dominus & ubera eius dant uinum perpetuum, de quo peruenit gaudium sempiternum, & non dicit quod dabit carnes & pinguedinem uel sanguinem quae faciunt sacrificium laboriosum. Sacrificium synagogae quo Deus priuauit nos. Iam sunt mille anni. Nos autem Dei sumus, domine mi. Fuit autem Synagoga sicut mulier quae habuit alium uirum, supple Deum, & perdidit illum & domum sanctam. Et ista ecclesia fuit cerua in deserto sine marito, sed Deus uicem illius supplet. Vnde ipse fortis & gloriosus dicit per Esaiam

cap.

P A R A S T A S I S.

ea. lxxiiij. Puella sequestratae meliores sunt quam ille que
 habent uirum. Item ille propheta cap. lxxiiij. Ego faciam,
 dicit dominus Deus, uineam & flumina ad potum popu-
 lo meo electo, & tu Iacob non obediens, & tu Israel non
 audiens. Sicut nos, domine mi, sumus extra obedientiam,
 nec habemus aures nec oculos, quapropter hæc captiui-
 tas nostra tam usq; ad complementum mille annorum per-
 uenit. Timeo, domine mi, de lege nostra que furoris iram
 habet in promptu, & dicit oculum pro oculo &c. Sed
 cerua illa æmulum habens unicum, dixit in Euangetio suo
 glorioso Natthæ. v. Qui te percusserit in unam maxillam
 statue illi alterã. Loquitur Dauid in psalmo. xxxi. Quam
 magna, et quam multa dulcedo tua domine, quam absco-
 disti timētibus te, & cōplcuisti eã sperantibus in te. Et

est clarũ, domine mi, quod populus Synagoge ti-

muerūt pœnas legis .f. oculum pro oculo, quia

erat i promptu excutio Sed populus eccle-

sie sperans est in dulcedine Dei, qui

percussi in faciem non reperiunt.

Quapropter parauit illis Deus

.f. gētibus, magnã multitudi-

nẽ dulcedinis sue quã

abscondit à Iudæis.

Attamen &c.

CAPVT XXIIII.

Quod cãntus Christianorũ est Deo acceptus.

D 2

Paueo,

V E R I M E S S I A E

Praueo, domine mi, quod loquatur Deus de nobis per os Esa. cap. xxviii. cum ait. Erunt prophetae apud nos, sint sicut uerba libri signati quem non aperit lector, nec ignorans litteras. De filiis autem supradictis quos Deus toties descripsit, ut allegatum est, cum pluries loquitur Deus in eodem cap. cum dicit. Manifestabunt sanctum Iacob, & euangelizabunt Deum Israel, & accipient ignorantes scientiam, & musici scient leges. Aperte uidemus, domine mi, quod iam sunt mille anni quod ignorantes musici sciunt, & docent legem nostram, & qui sunt ignorantes nisi Gentiles, & qui sunt musici cantantes psalterium nostrum, & Prophetas in ecclesijs suis nisi Christiani? De quibus musicis, siue cantoribus, dicit Deus per os Dauid in psalmo. lxxv. Cantate domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Et quid est canticum illud nouum, domine mi, nisi Testamentum nouum, & antiquum nisi Lex antiqua? Et de istis etiam musicis dicit Deus per dauid Prophetam psalmo. xcv. Cantate domino omnis terra, psalmum dicite nomini eius. Et in eodem. Cantabunt tibi, & psallent nomini tuo uniuersae familiae gentium. Et notanter dicit, uniuersae familiae Gentium, & non Israel singulariter. De istis etiam musicis dicit Deus per os Dauid psalmo. lxxxvii. Beatus populus qui scit cantilenam, in lumine uultus tui ambulabunt. De illis etiam, domine mi, scribitur in psalmo. lxxxvii. Cantabunt tibi Gentes in domo dei mei canticum. In loco isto ponit cantilenam antomastie. Etiam sunt mille anni quod nos Iudaei non cantauimus ista

mus ista

P A R A S T A S I S.

mus in domo sancta. De istis cantoribus dicit David. Cantabunt canticum in domo dei in eternum. De nobis dicit in psalmo. cxxxix. Quomodo cantabunt canticum dei in terra aliena. Et qualiter potest esse, domine mi, quod speramus terram habere & nomen? cum Deus dixit per Amos prophetam cap. v. Cecidit Israël, & non resurget, uirgo Israël prostrata est, & non eleuabitur. Idem propheta cap. ix. Et ueniet tribulatio & non saluabitur qui effugerit ex eis, & si absconderint se in monte Carmeli, inde precipitabit eos manus mea, etiam si descenderint in profundum maris illuc mittam serpentes, & mordebunt eos, & si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladium & occidet eos, & ponam oculū super eos in malum & non in bonū, quod fecit nobis Deus. Iam sunt mille anni completi quod canticum & psalmum cantauimus, ex quo sic est. Attamen & c.

CAPVT XXV.

Quod Iudæi indebite reprehendunt cantus Christianorum.

Domine mi, dixit Deus de nobis. Ponam oculum meum super eos in malum, & non in bonum sicut manifeste uidemus, sunt mille anni. Dixit uero de istis filiis musicatoribus per os David. Omnes Gentes plaudite manibus, & cantate Deo in uoce laudis. Et alibi dicit. Iubilare deo omnis terra, seruite domino in letitia. Introite in cōspectu eius, dicas totū iubilare. Et psal. lxxvi.

D 3 Cantate

V E R I . M E S S I A E

Cantate domino omnis terra, & annunciate de die in diem. Paueo domine mi, ex quo Deus dixit per os Hier. ca. ix. Docete filios uestros & filias uestras, fletū et plandū quoniam mors egressa est per portas uestras, ex quo Deus dixit de his filijs musicis siue musicatoribus p̄ os Dauid psalmo. clxvij. Reges terræ & omnes populi principes, & omnes iudices terræ, iuuenes & uirgines, senes cum iunioribus laudent nomē domini. Et psalmo. xlviij. In sacrificio cantus honorabit me, ac si aperte diceret, non in sacrificio carniū hircorum, sicut erat sacrificium nostrum. Etiam, domine mi, si negemus uerba creatoris ueri que dixit per os Esa. propheta cap. xlviij. Musici, seu musicatores, addiscentes scripturas, & totum psalterium Dauid, sic musicali arte notatum per sonum acutum & grauem. His omnibus consideratis uidetur mihi, quod nos erramus in hoc quod nos de suæ laudis sacrificio iudicamus, quod in ecclesia Dei exhibent cantando, præsertim cum in lege Dei de hoc inueniam præcepta & exempla Dauid, qui etiam dicit. Laudate cum in cithara et organo, laudate cum in cimbali magnis laudibus, & omnis spiritus laudet dominum I E S V M Christum, hoc scribit psalmo. cl. Exemplum etiam in. ij. Reg. cap. vi. ubi legitur quod Dauid discooperto capite saltans psallebat cū cithara ante archam domini, quem temeraria uxor sua Michol ausa est redarguere. Cui ipsi ait. O fatua, nōne uidebit me dominus de spectum psallentem? filij autem Israel sonabāt buccinam dum transducebant archam. Sed qui sumus,
domine

P A R A S T A S I S .

domine mi, obsecro, iridentes solennitates ipsorum musico-
rum, nisi Micholfatua, & qui sunt isti canentes nisi
Christiani saltantes, & exultantes deo in humilitate sicut
Dauid, praesertim cum dicit Deus, Omnis spiritus laudet
dominum, si dixisset omnis Israelita praecise, tunc posse-
mus alijs insultare. Et sic Deus fortis & gloriosus dicit
per Esa. Prophetae cap. ij. Quod gentes sunt in conspectu
eius quasi nihil. Sed hoc est intelligendum de gentibus istis
quae fuerunt antequam haberent notitiam dei per aduentum
Iusti, quia tunc fuerunt pagani & idolatrae, ideo intelligi
non potest bene illud nisi de gentibus quae inuenerunt do-
minum, quae offerunt omni die sacrificium mundum in
oriente & in occidente, sicut dicit per os Malach. prophe-
tae, ut iam superius est allegatum, & certe, domine mi,
nos erramus. Attamen.

CAPVT XXVI.

In quo probat apostasiam
Iudeorum a deo.

PAueo, domine, quod apostauimus a deo in primo ad-
uentu istius Iusti, de quo introduximus auctoritates
praedictas, & cui expresse conueniunt omnia quae
scripta sunt apud nos in libris Legis & Prophetarum,
propter quam apostasiam, sicut Deus praetendit longitu-
dinem dierum, & captiuitatem istam nobis intulit, & si
expectamus saluatore alium ab illo iusto, non prodest nobis,
sed argumentum nobis euidentis est captiuitas illa quae fuit

D 4 in Babylone

V E R I M E S S I A E

in Babylonia lxx. annis. Et quantum ad tempus, quia breue, quatum ad gratiam, quia Daniel Propheta fuit captus nobis qui erat amicus Dei, & per quem consolabatur nos de liberatione propinqua, non etiam omnes tribus fuerunt in ipsa captiuitate, sed haec captiuitas iam peruenit ad complementum mille annorum, nec est Daniel nobiscum, & omnes tribus nulla excepta sunt in dispersione elongata a domo sancta. Ex quo signum est euident, quod pro Peccato generali, quod est in nobis omnibus, quod Peccatum cum perseuerat in nobis, perseuerabit ira super Gentem nostram sine spe, & tamen expectamus aliquem alium, quae expectatio non prodest nobis. Et si uoluerimus dicere quod haec captiuitas non est generalis, & quod in aliqua parte Mundi nos habemus regem & principem, cito poterimus secundum legem nostram argui de mendacio, & conuinci. Nam si nos Iudaei in aliqua parte Mundi regem & principem haberemus, hoc esset de una sola tribu, scilicet Iuda, sed Deus diffiniuit contra Iudam quod non esset super Iuda rex ex illa in aeternum. Vnde dixit Hieremi. Propheta capi. xvij. Peccatum Iudae scriptum est stilo ferreo in lapide Adamantino, insiliens super corda eorum, & id quod est scriptum stilo ferreo in lapide Adamantino qualiter deleri expectamus, non delebitur in aeternum, praesertim cum Deus fortis & gloriosus locutus est per os Esae Prophetae cap. iij. Dominator dominus aufert a Hierusalem & Iuda iudicem Prophetam & principem. De nobis etiam dicit Propheta filius Bocerii capite. xv. libri sui.

Erunt

P A R A S T A S I S.

Erunt filij Israël sine principe & sine lege. Nos scimus,
 domine mi, quod ab initio mundi fuerunt aliqui magni &
 sancti coram Deo, & in principio fuerunt longæ uite,
 sicut Mathusalem & Enoch, & cæteri, & nullū illorum
 extendit Deus ultra mille annos, & nos inuenimus inter
 nos quod Messias siue Christus promissus nobis, fuit na-
 tus in Babylonia tempore captiuitatis illius quæ fuit lxx.
 annorum, sed hoc tempus nostrū habet in etate M. & V.
 annos, quam fabulam & non prophetiam nulla ratione
 possumus defendere, hoc tamen dicimus & asserimus in
 Synagogis nostris ubi nullus cōmiscetur nobis extraneus.
 Sed audias doctrinam Christianorum publicā super psal.
 lxxxvij. fundatam, ad Syon dicet homo, & homo natus
 est in ea, & ipse qui est, fundauit eam. In uerbis istis nomi-
 nat Mariam dominā nomine ciuitatis, et dicit quod homo
 natus est in ea, & non dicit, talis Israëlita uel talis, ut in-
 telligas quod filius Mariæ non fuit unquam in lumbis ali-
 cuius hominis. Et in ij. libro Regum cap. ij. hoc manifeste
 declarat, cum Deus dicit ad Dauid. Quando compleueris
 dies tuos, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo pro-
 geniem tuam post te, quæ egredietur de utero tuo, & ego
 ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filiū. Sed nunquam
 fuit possibile, domine mi, q̄ aliquis egrederetur de utero
 patris sui, sed hoc expresse ponit ad demonstrādum, quod
 Christus nō foret concipiendus in muliere per semen de-
 cisum de lumbis uiri, sicut cæteri homines, tam à Dauid
 quàm ab alijs descendēdo. Dicit etiam Deus per os Dauid

D s in psal.

VERI MESSIAE

in psalmo. Ex utero ante luciferum genui te, ac si Deus fortis & gloriosus diceret de Christo suo, quod de uoluntate sua quæ est spiritus sanctus genuit eum, & non de semine ducendo, cum ponit ex utero, quia Christus natus est ex utero sine uirili semine præter cursum solitum nature, & hæc est uera doctrina Christianorum quæ non intrat in capitibus nostris, propter hoc euenit nobis illud quod euenit nobis. Describit etiam per eundem modum Christum nasciturum Dauid propheta cum dicit in psal. lxxxviii. Iurauit dominus Dauid ueritatem, de fructu uentris tue ponam super sedem tuam. Attamen dei sumus.

CAPVT XXVII.

Concludendo inducit aliqua dicta Sarracenorum de IESV & MARIA matre eius.

Certe, domine mi, licet nobis non opponant Christiani dicta Sarracenorum, præcipue quæ traduntur in Alcorano & in expositionibus eius, scientes quod nos non recipemus, sicut nec ipsi recipiunt, tamen ad fatigationem nostram, & ad fortificationem credentium. Si nobis opponerentur illa quæ dicuntur à Sarracenis de IESV & de beata MARIA eius. Omnes enim Sarraceni dicunt quod ipse fuit ille Messias quem prædixerunt esse uenturum, & præponunt illum Machometi coram Deo quantum ad genealogiam, fatetur enim quod parentes Machometi fuerunt idolatræ & prauis & de semine Agar

P A R A S T A S I S

Agar ancille. Et dicunt q̄ Messias fuit filius Isaac & Pro-
phetarum & iustorū & recta linea usq; ad beatam M A
R I A M uirginem matrem eius. De M A R I A uero di-
citur sic in Alcorano de familia Adamar, dixit Angelus
Gabriel ad Mariam. O M A R I A. Deus te elegit & do-
cuit gratiam, & prælegit super omnes mulieres omniū
seculorum, & posuit te quasi nouum medium, diuidēs in-
ter homines terrenos & angelos Dei in paradiso delitia-
rum. Dicunt etiam omnes Sarraceni q̄ Christus siue Mes-
sias habuit à Deo potestatem faciendi miracula, sanandi
omnem languorem & infirmitatē, & eiciendi demonia
& suscitandi mortuos, & sciuit omnia secreta cordiū, et
credunt omnia miracula I E S V M fecisse quæ Euangeli-
um cōmemorat. Et hoc expresse testificatur Alcoranus,
ubi dicitur in capi. predicto Domar, q̄ Messias sciuit &
scit omnia, et etiā secreta cordiū. Vnde uerba Machometi
sciuit Eise. i. I E S V S omnē librū & omnē sapientiā, &
etiā totā legē Moysi. Et q̄ omnes comedebāt & bibebāt in
domibus suis, & quid reponebant in thesauris suis. Dicunt
etiā de Christo siue Messia, q̄ dū fuit in hoc mūdo, cōtem-
psit diuitias, et abiicit carnales delectatiōes, nec habuit cō-
cubinas, quæ sunt occasio peccati, & causa inobedientiæ.
Item dicitur in Alcorano illud uerbum Euangelicum.
Vulpes foucas habent, & uolucres cœli nidos. Et hæc
omnia licet sint auctoritates aperte dicentium cōtra, sunt
tamen conformes hijs quæ Prophetæ dixerunt de Messia
in primo aduentu suo, ut patet in predictis. Dicunt etiam
in Alco-

in Alco-

V E R I M E S S I A E

in Alcorano q̄ Eise, id est I E S V S Christus est uerbum
 Dei, & omne uerbū Dei est I E S V S Christus apud Sar-
 racenos quasi nomen proprium, ita q̄ nullus alius homo
 uocatur hoc nomine nisi I E S V S, quem uocant Eise. Vn-
 de dixit Deus ad Eise. Ego sum sufficientia tua, ego leua-
 bo te usq; ad me, & purificabo te ab infidelibus. Conside-
 ra ergo domine q̄ Gens Iudeorum propter captiuitatem
 quam passi sunt iam mille annis, sunt enim paucissimi Iu-
 daei in comparatione aliarum nationum. Nam sarraceni
 multiplicati sunt, & crescunt quotidie. Fides autem Chri-
 sti impleuit totum mundū, nos uero ubiq; dispersi sumus
 à Deo nostro, & ubiq; sumus paucissimi, sicut Ruben cū
 dixit. Non crescas &c. Nos autem non crescimus, & illi
 crescunt quibus sumus inimici super omnes Gētes, & nil
 proficimus, testimonium multorū stat semper contra nos
 scilicet Christianorum & Sarracēnorum. Alcoranus co-
 rum, & Euangelium Christi, quibus nolumus obedire, t̄-
 men meo iudicio Alcoranus nihil ualet, cum manifeste cō-
 tineat cōtra doctrinam nostram, sicut ipse nosti, & sicut
 expositores eius, apparet euidenter q̄ ignorauerunt testi-
 monium. Sed quid dicemus de Euangelio Christianorum,
 supposito q̄ Christus siue Messias iā uenerit, nihil enim
 continet contra Prophetas & Legem nostram, sed est ma-
 nifestatio omnium Prophetarum, & promissionis imple-
 tio, quae in lege continentur sumendo spiritualiter prout
 continet doctrina Christianorū. Nihilominus, domine,
 mi, super hijs dubijs ad te recorro, maxime super primis
 nostris

P A R A S T A S I S

nostris quæ habui à Prophetis, quia de Alcorani testimonio scio q, quasi nihil reputabis, tu maxime qui Arabicè scis. Perfecte enim nosti, quia ipse Machumæus qui dixit se Prophetam nec uentura prædixit, & qui dixit se nuncium Dei, contra Deum & eius scripturam docuit, ut corruptus homo penitus & ignorans,

Finis Epistolæ Rabbi Samuelis quam scripsit ad Rabbi Isaac magistrum Synagoge.

Nota q, iste libellus uidetur fuisse occultatus per Iudæos ultra ducentos annos & triginta, quod conijcitur ex hoc, quia cum iste doctor Samuel scriberet Rabbi Isaac, solum dixit fluxisse mille annos à tempore quo per Titum expugnantem sanctam ciuitatem Iudæi sunt dispersi, & ideo uidetur q, statim post illos mille annos captiuitatis et dispersionis Iudæorum, iste liber fuerit cõscriptus. sed Iudæi uidetes q, per tot euidetia testimonia Prophetarum, ipsorum errores conuincerentur, istum librum tãto tempore, ut dictum est, occultauerunt, ne per catholicos fideles ipsorum errores possent argui per cõten
ta

in hoc Libello. Qui trãslatus est sub annis domini. 1239.

INDEX

INDEX CAPITVM.

- CAPVT primū. Quare Iudæi sunt in ira Dei.
Caput. ij. Probat q̄ pro quodā graui peccato in quo sunt,
sunt in hac dispersione, & arguitur contra eorum ob-
seruantiam legis.
Caput. iij. Quomodo omnis obseruantia legis Iudæorum
nō est acceptabilis Deo propter peccatum in quo sunt.
Caput. iiij. ostendit q̄ Iudæi sunt cæci.
Caput. v. q̄ Iudæi decipiunt alios & seipsos.
Caput. vi. Quod sit illud peccatū propter quod Iudæi sūt
in hac captiuitate.
Caput. vij. quod iustus IESVS Christianorum Deus in
iuste uenditus sit.
Caput. viij. Quomodo post occisionem facta est dispersio
Iudæorum secundū Danielem.
Caput. ix. q̄ duo sunt aduentus Christi.
Caput. x. De primo aduentu Christi.
Caput. xi. de secundo aduentu Christi, tunc sit cum poten-
tia iudicaturus.
Caput. xij. De Christi ascensione.
Caput. xiiij. adhuc fortius probat corporalem ascensionē
Christi.
Caput. xiiij. De cæcitate Iudæorum q̄ non credunt Chri-
stum aduenisse nec intelligant.
Caput. xv. Quomodo cæcitas Iudæorum & incredulitas
circa Christum fuit prænuntiata per Prophetas.
Caput. xvi. ostendit reprobationem Iudæorum propter
eorū perfidiam, & electionē Gentium propter eorū fidē

INDEX CAPITVM.

- Caput. xvij. De uiuificatione Gentium & interfectiōe Iudeorum prout etiam uidebitur in cap. sequenti.
- Caput. xvij. Quomodo Gentes per fidem uiuificate habent mundas obseruantias noue Legis.
- Caput. xix. de electione Apostolorū loco Prophetarum.
- Caput. xx. De reprobatione sacrificij Iudeorum, & electione sacramenti Christianorum.
- Caput. xxi. q. Deus refutauit ieiunia, sabbata, & sacrificia Iudeorum, & Christianorū elegit.
- Caput. xxij. probat abiectiōem Synagoga, & electionē ecclesie per uerbum domini ad Rebeccam.
- Caput. xxij. probat hoc idem per uerba Malachie prophete.
- Caput. xxiiij. q. cantus Christianorum est Deo acceptus.
- Caput. xxv. q. Iudei indebite reprehendūt cantum Christianorum.
- Caput. xxvi. probat apostasiam Iudeorū à Deo.
- Caput. xxvij. concludendo inducit aliqua dicta Sarracēnorum de IESV & MARIA matre eius.

ARGENTORATI APVD
IOHANNEM HERVAGIUM,
III. NONAS IULIAS.
ANNO DOMINI.
M. D. XXIII.





Th
365